BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXVIII
A
57
NAPOLI

Digitized by Google


GEORGI HORNI
Hiſtoria
NATURALIS
&
Civilis.
LUGD. BAT.
Apud LOTHUM de
HAES.
1670
G.Wingendorp Sculp.

GEORGI HORNI

# HISTORIÆ NATURALIS ET CIVILIS,

Ad noſtra uſque tempora,

*LIBRI SEPTEM.*



LUGDUNI BATAVORUM,

---

Apud LOTHUM de HAES.
cIↄ Iↄc LXX.

Digitized by Google

Digitized by Google

# FLORENTISSIMÆ & INVICTISSIMÆ REIPUBL. NUREMBERGENSI

## GEORGIUS HORNIUS,

Proſperitatem & Incrementum.

HISTORIAM NATURALEM & CIVILEM, opus in urbe veſtra ante XXXII. annos natum, vobis, MAGNIFICENTISSIMI DOMINI, inſcribere ſacramque facere viſum fuit. Ea enim Civitatis veſtræ in noſtram familiam difficillimis temporibus, ut tunc ſeculum erat, merita fuerunt, quæ abſque ingrati animi nota præteriri aut diſſimulari haudquaquam poſſunt.

Nam cum in fatali Germaniæ Bello duo ingentes exercitus hoſtiles, anno cIↄ Iↄ c XXXII. NUREMBERGAM, hic defenſurus, ille oppugnaturus, peterent, nos ex vicino Marchionatu, velut ad munitiſſimam arcem undique trepidi eo confugimus; ac dum jam in extremis Sylvæ vagamur, à la-

trone veſtimentis exutus, ea miro caſu, ope TERENTII, quem forte mecum geſtabam & aſſumto *Studioſi* homine, recuperavi. Inde urbem ingreſſus mirari magnificentiam ejus pariter & magnitudinem, nova mihi omnia & hactenus inviſa aſſueto oppidis.

Tum vero in caſtris Suecorum aſſiduus, ubi magnum illum GUSTAVUM,

*Cui nulla tulere*
*Secla parem,*

Coram aſpicere in tentorio, in concionibus, in urbe, armatum pariter ac inermem, datum: alios inſuper Reges Principeſque, quorum tanquam in Alexandri expeditione ſumma erat frequentia. Quis enim ſub GUSTAVO detrectaret,

*Militiam & grave Martis onus?*

Cæterum dum mutuis ſe cladibus atterunt vicinæ adverſæque acies, Auguſto jam inſtante, ſtrigoſo equo, ut pabuli tum erat ſumma tenuitas, & in caſtris viliſſimo pretio redemto, impoſitus, Kreuſenam per infenſos hoſtes

ſtes repetere viſum: jamque Rotenberga ab altera Pegneſi ripa in conſpectu, cum Crobatarum (terribile id tum viatoribus nomen erat) incurſio agmen noſtrum diſſipavit, me Solo in denſiſſimis tenebris & vaſta Sylva, amiſſo equo pallioque oberrante, nec ſemel in Pegneſum, ultimò ſubmerſionis periculo, illapſo ac ſocios fruſtra lamentabiliter inclamante: donec luce orta, comitem nactus & ipſum per avia vagum, *Feldenam* inter præcipitia & crepidines montium ſitam, evaſi; unde ad fontes Pegneſi veſtratis ac ſemicombuſtum oppidum delatus, jam ſecurior periculi, ſedem familiæ noſtræ Kreuſenam, attigi.

Nec diuturna ibi quies, cum ad fatalem illum & præliarem campum in Lutzenenſi planitie, haud procul Lipſia, duo bellicoſiſſimi exercitus contenderent ac noſter tractus Fridlandicis in direptionem & prædam cederet. Quis illius diei clades enumeret, cum militaris furor cuncta proſterneret? Quoties ſtrictus pectori mucro

recenti adhuc cruore fumans, impoſitus, cum ſolemni acclamatione; *aut pecuniam aut ſanguinem?* Ac parum abfuit quin unum ex illis latronibus, inſtar Timocleæ, in profundum turris barathrum, dum cernuus abditas opes ſcrutatur, præcipitarem. Donec, matre pientiſſimâ ægram filiam ſuam, nuper placide fato functam, ſuis humeris ex miſero illo oppido, per medios hoſtes, in vicinum arundinetum exportante, ego ſupra ætatem audax ac fati ſecurus, tandem Ducum ſtationem irrupi ac mox ab eorum præcipuo compellatus, quas artes callerem? me *legere, ſcribere* ac *ſupputare* poſſe reſpondiſſem, Recenſioni Militum ab eodem præfectus, nomen meum primitus Marti conſecravi, quanquam brevi perfunctus, ſed non ingloria, militia. Mox enim Lutzenſe prælium horrenda ſtrage deſæviit & victor GUSTAVUS, glorioſam animam medios inter cæſorum cumulos, creatori ſuo reddidit.

Sed mox altera expeditio mihi ſubeun-

eunda, cum A. xxxv. poſt feralem illam toti Europæ luem, ad Salam Saxonicus & Suedicus Exercitus hærerent, quibus immixtus trimeſtri ſpatio, tandem repedare Lipſiam ac inde per Oſterlandiæ, Ruthenicæ, Voytlandiæ rupes, quibus impoſitam civitatem *Leythen*, magnæ noſtræ, in qua nunc dego, urbi cognominem, caſu reperi, perque varios caſus, Bayreithum Marchionis noſtræque familiæ ſedem iterum attigi, adeo improviſo adventu, ut cœlo delapſus, vel ab inferis excitatus, crederer. Inter tot Ulyſſeos errores quis locus Palladi & Muſis eſſe potuit? Ergo NUREMBERGAM, in qua tum CASPARUS HORNIUS, veſtro, EXCELLENTISSIMI & POTENTISSIMI DOMINI, beneficio, Medicinam exercebat, meus tum Tutor, repetere, ibique ſtabilem ſtudiorum ſedem ponere viſum. Nunquam ſine publica divinæ erga me gratiæ confeſſione recordari poſſum, me tum in veſtrum Illuſtre & cui Europa par

non habet, ÆGYDIANUM GYMNASIUM admiſſum, Rectorem ibi reperiſſe, ipſa nive Candidiorem animam, probitatis & eruditionis ſingulare exemplar, JOH. GRAVIUM, cujus beatiſſimo Spiritui, quicquid in me eruditionis vel agnoſcunt fautores, vel carpunt invidi, me in ſolidum debere, ultro profiteor, & vel imprimis Nobiliſſimorum SCHOLARCHARUM gratiæ, quos inter veneranda illa nomina, L. GRUNDHERRUM & L. F. BEHAIM fuiſſe, recordor. Princeps tum Noricæ Reipublicæ erat Phœnix Patriciatus ANDREAS IM HOF canicie & Neſtorea lenitate totius urbis ingens ornamentum, cui omnes, tanquam PATRIÆ PATRI & STATORI, aſſurgere & ex longinquo etiam, cultum, ut par, exhibere ſolebamus. Ibi dum jucundiſſimo, poſt tot tempeſtates, otio perfruor, præcipuis Patriciorum & Civium qui eadem mecum Palladia caſtra frequentabant, innotui, quos inter ſingulari affectu etiamnum

num

num cogniti, WILHELMUS IM HOFF, JOH. GEORGIUS RICHTER, nunc, ut intelligo, Conſiliarius Noricus, ac præterea longa FURERORUM, TUCHERORUM, TETZELIORUM, HOLTZSCHUCHERORUM, GAMMERSFELDORUM, PFINTZINGORUM, POMERORUM, WURFBAYNORUM & quis omnium tot jam elapſis annis, meminiſſet? ſeries. Ita XXXVI. & XXXVII. annus Norribergæ tranſactus, cum illis quibus in me poteſtas, ALTORFIUM, Academia veſtra, ad quam tanquam literarum & eruditionis mercatum, ablegarer, placuit. Ibi tum florebant ingentes illæ animæ, KONIG, ALTHOFER, WEINMAN, AGRICOLA, LUDWELL, RITTERSHUSIUS, HOFMAN, NOESSLER, JUNGERMAN, KOB, BRUNO, TYDEUS, TREW, RUPERTUS & cui omnem in Hebraicis profectum me debere profiteor, optimus ille THEODORICUS HACKSPAN Com-

menſalis noſter. Quî vero te CASPAR HOFMAN, ſilentio prætercam, cui tanquam parenti & hoſpiti faventiſſimo, omnem me debere gratiam conteſtor? Quotiens à fulgentiſſimo illo Medicinæ Hippocraticæ lumine, Joh. Anton. van der LINDEN, collega meo νῦν ἐν ἁγίοις, rogatus fui.

*Quæ labra, quis illi*
*Vultus erat?*

Neminem enim omnium ex recentioribus magis admirabatur & in ſcribendo ac docendo imitabatur, quam ſuum HOFMANUM Lindanus. Tum vero exultabat & geſtiebat cum referrem illi,

*Talem oculis, talem ſeſe ore ferebat*
*Maximus* HOFMANUS.

Sed exacto anno iterum migrandum erat. Quid enim vita hominum niſi continua peregrinatio? Ergo poſtquã Nurembergæ hunc nomini veſtræ MAGNIFIC. & DOMINAT. inſcriptum libellum, ex varia optimo-

rum

rum auctorum, quorum mihi copiam inſtructiſſima patruelis Bibliotheca ſuppeditabat, lectione digeſſiſſem, in Belgicam me A. xxxviii. Kal. Sept. urbem Nurembergam ad Francofurtenſem mercatum egreſſus, contuli: ac GRONINGÆ FRISIORUM ſexennio exacto, LUGDUNUM BATAVORUM petii, inde A. xlv. & xlvi. ANGLIAM, flagrante tum Civili Bello, cujus etiam ſpecimen à me luci datum. Redux LEYDAM A. xlvii. mágna illa Reipublicæ Noricæ lumina, D. KRESS à KRESSENSTEYN & OLHAFIUM, tum ad pacem Monaſterienſem promovendam, ſumma cum poteſtate ablegatos, hic hoſpites & inviſores habui, qui cum urbis hujus luſtrandæ ergo huc veniſſent, me tanquam Nurembergenſis Civitatis olim incolam compellarunt, pro quo etiam honore me ILLUSTRI eorum nomini obſtrictũ, etiamnum profiteor. Mox cum PHILIPPO PR. PALAT. cum ſuppetiis pro Rep. VENETA contra Turcas

 Can-

Candiam tum oppugnantes, in Illyricum & Dalmatiam deſtinatus, irrita illa expeditione, ab ELECTORE BRANDENBURGICO, NASSAVIIS & SERENISS. ac CELSISS. ELECTORE PALATINO D. KAROLO LUDOVICO, Principe ac Domino meo Clementiſſimo, HEIDELBERGENSEM Univerſitatem inſtaurante, vocatus cum fata aliter diſponerent, ORDINIBUS DUC. GELRIÆ & COMITATUS ZUTPHANIÆ, ad novam HARDERVICI in Velavia Academiam fundandam, me addixi eamque cum celeberr. J. C. JOH. CHRISTENIO, nunc Amſtelodamenſis Lycei præfulgido ſidere, ſolemniter inauguravi. Quo ſeſe etiam juventutis veſtratis Primicerii, IM HOF, TUCHERI aliique ſtudiorum cauſa contulerunt, quibus cum intima mihi familiaritas.

Hardervici ſex annis exactis, à Præpot. HOLLANDIÆ & WESTFRISIÆ ORD. Lugdunum evocatus A. LIII. & LIV. hucuſque in ea Academia

mia, inter varios ſane mirandoſque caſus, quà publicos, quà privatos, cum atrociſſima bella totum ſanguine Oceanum & naufragiis implerent, hactenus ſubſtiti, nunc in HEYDELBERGA, poſt XXXII. annorum ex Germania longinquam abſentiam & triſte exilium, repetenda, DEO volente, occupatus.

Atque hæ me impulerunt cauſæ, MAGNIFICENTISSIMI & ILLUSTRISSIMI DOMINI, Reip. NORICÆ inclyta ſidera, cur hoc opuſculum, tanquam teſtem meæ erga Civitatem illam à qua tanta accepiſſe beneficia memori ſemper mente revolvi, qualiſcunque gratitudinis debitæ veſtro nomini EXCELLENTISSIMO, inſcribendum putarim.

Floreat Germaniæ ocellus, Liberarum urbium Caput & Ornamentum, inviĉtiſſima NUREMBERGA: Vivat Ordo PATRICIORUM & NOBILIUM; Vigeant ſplendidiſſimæ civium familiæ: Creſcant Eccleſiæ & ſcholæ, quarum nunc primam curam gerit illud

Chri-

Chriſtiani Orbis lumen & immenſæ eruditionis promtuarium JOH. MICH. DILHERR, cujus inter nos nunquam ſine Reverentia nomen celebratur & ſcripta cum admiratione leguntur. Cujus etiam Collegæ digniſſimi, D. WULFFERT, ARNOLDUS & alii, mihi olim Altorfi & Leidæ innotuerunt.

DEUS omnipotens totam Remp. NUREMBERGENSEM, voſq; ejus Gubernatores Inclytos, omni benedictionum genere proſperet, fortunet, veſtraque pro publica ſalute conſilia ſuo Spiritu ſecundet.

Scriptum LUGDUNI BATAVORUM. Ultima Maji cIɔ Iɔ c LXX.

# PRÆFATIO AD LECTOREM.

*OFfero Tibi LECTOR AMICE, Hiſtoriam Naturalem & Civilem, opus ex multiplici authorum lectione jam olim, cum Academicis adhuc occuparer ſtudiis, à me collectum & in ordinem digeſtum. Et quanquam illud innumeris locis augeri ac amplificari potuiſſet, nihil tamen mutare viſum, quod id à Lectore ipſo commodius & utilius fieri queat. Opiniones varias antiquorum pariter & recentiorum de plerisque materiis naturalibus collegi, oſtendens quaſi fontes ipſos ex quibus argumenta depromi queant. Inde ad experimenta quædam Oeconomica deventum quod κληπκὶν ferè ſpectant & nuper admodum à curioſis quibuſdam naturâ ruſpatoribus detecta vel in medium allata fuerunt, ac ut libelli juſta aliqua eſſet moles, brevem quoque Hiſtoriæ Civilis ab orbe condito ad noſtram memoriam repetitionem adjungere viſum.*

*Cæterum quia non ſemper operis adeſſe licuit, ſæviente præſertim apud nos, exacto anno, atrociſſima hyeme, cum multiplici morborum ſerie: hinc factum quod ſphalmata hinc inde, maxime tamen in authorum nominibus irrepſere, quæ minus cognita Ty-*

po-

*pothetis & correctoribus erant. Quia vero* Lectori, *præſertim talium perito, faciliſſimum erit ea emendare; hinc neceſſarium minime arbitratus fui, ſingula annotare, neque etiam occupationes aliæ id patiebantur.*

*Hiſce vale*, Lector Amice *& propediem expecta ULYSSEN PEREGRINANTEM, ac ſi DEUS, valetudo & tempora faveant, alia majoris molis, ac momenti, imprimis vero vaſtum & laborioſum ATLANTIS MONARCHICI opus. Scriptum Lugduni Batav.* XXVII. *Maji* CIↃ IↃ CLXX.

IN-

# INDEX CAPITUM.

## Liber Primus.

Fol. 1
CAput Primum, *de Diſputatione.*
*de Phyſica.* 8
*de Infinito, Vacuo loco.* 13
*de Elementis.* 16
*de Igne.* 18
*de Aëre.* 23
*de Aqua.* 24
*de Terra.* 25
*de Generatione & Corruptione.* 28
*de Occultis Qualitatibus.* 30
*de Mundo.* 33
*de Mundi Origine.* 39
*de Mirabilibus Mundi.* 47
*de Cœlo.* 49
*de Temperie Regionum.* 55
*de Fluminibus.* 59
*de Lumine.* 61
*de Eclipſi.* 62
*de Sole.* 64
*de Luna.* 69
*de Stellis.* 72

Li-

## Liber Secundus.

*De Mari.* 78
*de Meteoris Igneis.* 83
*de Meteoris Aqueis.* 88
*de Ventis.* 91
*de Terramotu.* 94
*de Montibus.* 99
*de Succis.* 97
*de Magnete.* 99
*de Gemmis & Lapidibus.* 101
*de Metallis.* 104
*de Plantis.* 108
*de Venenis.* 112
*de Nutritione.* 114
*de Viſu.* 116
*de Odore.* 120
*de Auditu.* 121
*de Somno & Vigilia.* 123
*de Animalibus.* 125
*de Partibus Animalium.* 136
*de Monſtris.* 143

## Liber Tertius.

*De Homine.*
*de Hominis Generatione.* 158
*de Ætate Hominis.* 163

*de Ani-*

19
de Anima Humano. 167
de Phantaſia. 169
de Memoria. 170
de Vita & Morte. 172
de Anatomia. 175
de Medicina. 175
de Angelis. 176
de Dæmonibus. 177
de Magia. 182
de Chiromantia. 186
de Ὁπλιατρίᾳ. 189
de Cruentatione Cadaveris. 188
de Alchimia. 189
de Mathematica. 192
Geographica. 193
Quæſtiones Politicæ & Morales. 195
de Scientia. 205
Liber Quartus.
De Hortis. 209
de Agricultura. 210
Liber Quintus.
Hiſtoria Civilis. 294
Liber Sextus.
Hiſtoria Civilis. 317
Liber Septimus.
Hiſtoria Civilis. 334

# GEORGI HORNI HISTORIÆ NATURALIS.

## LIBER PRIMUS.

### CAPUT PRIMUM. DE DISPUTATIONE.

DAntur quædam prima principia. *Taurus* apud *Gell.* XII. 5. & hæc vocantur indemonſtrabilia, non quod demonſtrari nequeant ut maris univerſitas & circuli quadratura ſed quod tam ſimplices tamque manifeſtæ ſunt ut demonſtratione non egeant adeoque ut cætera gignant fidemque illis ex ſe impertiant. *Apul.* III. de Philoſophia Rational. Idem in *Apol.* de re tam perſpicua non eſt neceſſe pluri-

bus diſputare. *Quintil.* IV. Inſt. 2. quorundam probatio Sola eſt in aſſeveratione & perſeverantia. *Ariſtot.* IV. Met. t. 8. 9. Cavendum ne primorum principiorum probationem poſtulemus. *Taurell.* Alpi-Cæſ. p. 299. Duplex eſt prima ſimplex & certiſſima veritatis demonſtratio, ſenſus & revelatio ad quas vocari noſtræ omnes debent ratiunculæ: In Philoſophicis diſputationibus ſi ratio non petatur ex Theologia, veritas tamen petenda eſt.

Diſputationes ſunt bella Scholaſtica qualia. *Horat.* I. Serm. 7.

*Hectora Priamiden animoſum atque inter Achillen.*

ad quæ non niſi parato animo accedendum. *Juven.* Sat. I.

*—— tecum prius ergo voluta*
*Hæc animò ante tubas, galeatum ſero duelli pœnitet.*

*Scal.* Ex CCCVIII. Sicut lapidum colliſione ignis: ita diſceptationibus veritas elicitur. *Boët.* III. Conſ. proſa 12.

Viſne rationes ipſas invicem collidamus? forſitan ex hujuſmodi conflictatione pulchra quædam veritatis ſcintilla diſſiliet.

*Lucret.* II. *Deſine quapropter novitate*
*exterritus ipſa*

*Ex-*

*Expuere ex animo rationem ſed magis acri*
*Judicio perpende & ſi tibi vera videtur*
*Dede manus, aut ſi falſa eſt accingere contra.*

*Ovid.* I. Met. 13. – *nec erit dubitabile verum.*
*Perſ.* Sat. IV. *Verum gemina ſuſpendere tanta ancipitis libræ.*
*Sat.* V. — *Veri ſpeciem dignoſcere calles*
*Ne qua ſub ærato mendoſum tinniat auro*
*Quæque ſequenda forent & quæ fugienda viciſſim*
*Illa prius cretâ, mox hæc carbone notaſti.*

Ammon. ἡ ἀπορία ἀρχή ἐστι τῆς διπορίας καὶ ὁδός τις πρὸς μάθησιν. *Epiſt.* V. ad Alexandrum: τῶν τε φιλοσοφικῶν οὐκ ἀποδοκιμάζειν μὲν τὴν περὶ τὰς ἔριδας ἀλλὰ νομίζειν εἶναι, πλεονεκτικὴν ἐν ταῖς ἰδίαις διατριβαῖς, οὐ μὴν ἁρμόττειν οὔτε τοῖς τῶν. πλήθους προεστῶσιν, οὔτε τοῖς τὰς μοναρχίας ἔχουσιν.

RIXÆ cavendæ. *Ovid.* II. de Arte:
*Eſte procul lites & amaræ prælia linguæ.*
*Quintil.* VI. 5. acerrima in hac parte dimicatio eſt, nec alibi dixeris magis mucrone pugnari. Bonus altercator vitio iracundiæ careat. *Lipſius cap.* 3. adv. dialogiſtam: Diſputationes non damno ſi in

in loco ſi inter idoneos, ſi cum modo uſurpatæ. Locum cenſeo Scholas, Academias, Collegia. Idoneos, rerum ſacrarum & Philoſophiæ etiam peritos. Modus: ut contentio & nimia ſubtilitas abſit. I. *Heurnius l.* de humana felicitate citat. Nimis anxia ſubtiliſq; diſputatio inutilis eſt. *Veratrum* craſſiuſcule ſumtum purgat: in Pollinem levigatum ſuffocat. Ne pueris proponantur. *Ioh. Caſel.* in παιδιδασκάλῳ Diſputationes Tyronum non minus ridiculæ videntur quam inſtructa acies gruum & pygmęorum, de qua Poëtæ fabulantur, ac male novitiis conſulunt, qui eos in acie diſputationum collocant, quaſi egregia facinora deſignaturos, qui nec clypeum tenere, nec haſtam vibrare, ac ne pedibus quidem firmiter conſiſtere valebunt.

*Socrates* diſputabat non ut aliorum ſententiam refelleret, ſed ut ipſe quid verum eſſet, inveniret. *Laërt.* II. *Zeno* dicebat, operæ pretium eſſe eum qui diſputaret, in morem hiſtrionum voce viribuſque magnum eſſe: os tamen aperire non debere: quod ii faciunt qui plurima loquuntur quidem, ſed ea bene dicere non poſſunt. *Laërt.* VII. *Ovid.* IX. Met.

——— *nec tam*

*Turpe*

*Turpe fuit vinci quàm contendiſſe decorum eſt*
*Magnaque dat nobis tantus ſolatia victor.*

Omni boni diſputatori dicendum eſt cum Cæcilio ſi ſuccubuerit: ut ille mei victor eſt, ita ego triumphator erroris. *Minutius* in Octavio.

*Hieron.* epiſt. ad Auguſtinum. Cumq; tu viceris, & ego vincam ſi meum errorem intellexero. Idem ad *Lucif.* Non ſolum te viciſſe exiſtimes, vicimus uterque noſtrum: palmam refers tu mei: ego erroris.

*Varro*: Quemadmodum in telo aliquo aut gladio ut penetret multum intereſt à qua manu veniat: ſic in ſententia ut penetret valde facit robuſtæ alicujus authoritatis pondus.

*Ariſtot.* 1. Top. 12. Dictum clari hominis facile admittitur. *Lucret* III.
*Democriti quod ſancta viri ſententia ponit.*
*Paling* VIII. *Quicquid Ariſtoteles vel quivis dicat eorum,*
*Dicta nihil moror à vero cum fonte recedunt.*
*Errare & labi contingit plurima ſecum*
*Ingenia in tenebras conſuerunt nominis alti*
*Autores ubi connivent deducere eaſdem.*
Id. XI. *Magni ſæpe viri mendacia magna loquuntur.*

 *Gell.*

*Gell.* xv. 9. Miſſas authoritates facias quas quidem ut habeas poſſe fieri puto: ſed rationem dic quam non habes.

*Scal.* cccvii. Sect. 25. Nec centum authorum Chiliades contra unam rationem ſufficiunt. 1. Eth. Nic. 4. ὅσιον προτιμᾶν τὴν ἀλήθειαν. *Cic.* 1 de Nat D. Non tam authores in diſputando quam rationis momenta quærenda ſunt. *Minutius* in Octavio: non diſputantis authoritas ſed diſputationis ipſius veritas requiritur. *Chryſippus* tanta utebatur teſtimoniorum Copia ut iis ſolis libri ejus referti oſtendunt. *Heſych.* in vitis.

*Ambroſ. l* de Officiis 12. laudatur in Platone quod in Politia poſuit eum qui contra juſtitiam diſputandi partes recepiſſet poſtulare veniam dictorum quæ non probaret & veri inveniendi atque examinandæ diſputationis gratiam illam ſibi impoſitam perſonam dicere.

Quæſtiones ad diſputandum propoſitæ theoremata vocantur. *Gell. l.* 13. Inſtructius deliberatiuſque fore arbitramur theorematium hoc. Suntque variæ. *Minutius* Octav. Ineſt & in incredibili verum & in veriſimili mendacium. Idem: Quæ ſunt dubia, ut relinquenda ſunt, non tot ac tantis viris delibe-

ran-

rantibus temere & audaciter in alteram partem ferenda ſententia eſt.

Raro reperitur quod univerſaliter verum ſit. *Quintil.* 11. 14. Mihi ſemper moris fuit quam minime alligare me ad præcepta quæ καθολικὰ vocant, id eſt, univerſalia vel perpetualia. Raro enim reperitur hoc genus, ut non labefactari parte aliqua & ſubrui poſſit.

*Apul.* 111. de Philoſ. Quod alicubi fallit pro certo repudiatur. *Perſ.* Sat. IV. *Fallit pede regula Varo.* Ideo diſputandum ex principiis maximè generalibus. Nam ſemel eſt pene nunquam. Ita *Craſſus* dictus ἀγέλαςος, cum tantum ſemel in vita riſerit cum aſinum Carduos edentem conſpexiſſet.

*Lucilius Cic.* 111. Tuſcul. *Plin.* 17.10. Macrob. 2. 1. λογομαχίαι cavendæ. *Plaut.* Aſin. 2. 2. verbis velitationem fieri compendio volo. *Quintil.* 9. Inſt. 1. Optimum ſequi maxime recepta & rem ipſam quocunque appellabitur modo, intelligi.

An *prælectiones* dictandæ? Negat *Poſſevinus* quia valetudinis ac vitæ magnum periculum per nimiam ſcriptionem incurrirur. Sicut in Academia Pariſienſi olim lex lata, ne Doctores quos vocabant

Nominatores dictando auditorum manus potius exercerent quam continenti explicatione mentem erudirent.

## CAP. II.

## *De Phyſica.*

QUam multa in Phyſicis ſint ignota *Irenæus II.* contra hæreſes 47. exponit: *Non eſt mirum ſi in ſpiritualibus, cæleſtibus & in iis quæ habent revelari hoc patimur nos: quandoquidem etiam eorum quæ ante pedes ſunt, dico autem quæ ſunt in hac creatura, quæ & conteruntur à nobis & videntur & ſunt nobiſcum multa fugerunt noſtram ſcientiam & Deo hæc ipſa committimus. Quid enim ſi tentemus cauſam exponere aſcenſionis Nili? Multa quidem dicimus & fortaſſe ſuaſoria, fortaſſis autem non ſuaſoria, quod autem verum eſt & certum & firmum adjacet Deo: ſed & volantium animalium habitatio, eorum quæ veris tempore adveniunt ad nos, autumni autem tempore ſtatim recedunt, cum in hoc mundo hoc ipſum fiat, fugit noſtram ſcientiam. Quid autem poſſumus exponere de Oceani acceſſu & receſſu cum conſtet eſſe certam cauſam? Quid vero de his quæ ultra eum ſunt enunciare qualia ſint?*

*Vel*

*Vel quid dicere poſſumus quomodo pluviæ & coruſcationes & tonitrua & collectiones nubium & nebulæ & ventorum emiſſiones & ſimilia hic efficiuntur: annunciare quoque theſauros nivium & grandinis & eorum quæ his proxima ſunt: quæ hæc autem nubium præparatio aut qui ſtatus nebulæ, quæ cauſa & per quam creſcit Luna & decreſcit, aut quæ cauſa aquarum, diſtantiæ, metallorum, lapidum & iis ſimilium; in iis omnibus nos loquaces erimus, requirentes cauſas eorum, qui autem ea facit ſolus Deus veridicus eſt.* Achoreus Sacerdos Ægyptius cauſas rerum naturalium à Jul. Cæſ. rogatus, reſpondet apud Lucan. x.

*—— quis cauſas reddere poſſit*
*Sic juſſit natura potens: Sic opus eſt mundo.*

*Virgil.* 1. Georg.

*— has leges æternaq; fœdera certis*
*Impoſuit natura locis ——*

Quintil. Declam. VIII. *Quis in ullo mortalium ferat ignorantiam pariter & affirmationem?* Apul. de Mundo: *Cum homines mundum ejuſque penetralia corpore adire non poſſent & è terreno domicilio illas regiones inſpicere: Philoſophiam ducem nacti ejuſque inventis imbuti, animo peregrinari auſi per cœli plagas.* Auguſtin. Enchirid. ad Laurent. cap. 16. *Non nobis videatur ad felicitatem conſequendam per-*

 *tinere,*

*tinere, ſi ſciamus cauſas magnarum in mundo corporalium motionum, quæ abditiſſimis naturæ finibus occultantur.*

*Unde tremor terris qua vi maria alta tumeſcant*
*Objicibus ruptis rurſuſque in ſeipſa reſidant.*

Virg il in Ætna:

*Nam quæ mortali ſpes eſt quæ amentia major*
*In Jovis errantem regno perquirere velle:*
*Tantum opus ante pedes tranſire & perdere ſegnes.*

Idem *Auguſtin.* ad Laurent. cap. 9. *Non rerum natura ita rimanda eſt quemadmodum ab eis quos Phyſicos Græci dicunt, nec metuendum eſt ne aliquid de vi & numero & elementorum, de motu atque ordine & de effectibus ſiderum de figura cœli, de generibus & naturis animalium, fruticum, lapidum, fontium, fluminum, montium, de ſpatiis locorum & temporum, de ſignis imminentium tempeſtatum & alia ſexcenta de his rebus quas illi vel invenerunt vel inveniſſe ſe exiſtimant, Chriſtianus ignoret: quia nec ipſi omnia invenerunt tanto excellentes ingenio, flagrantes ſtudio, abundantes otio, & quædam humana conjectura inveſtigantes, quædam vero hiſtorica experientia perſcrutantes & in eis quæ ſe inveniſſe*

*niſſe gloriantur, plura opinantes potius quam ſcientes.*

Lactant. III. Inſt. 3. *Cauſas naturalium rerum diſquirere aut ſcire velle, tale eſt profecto, quale ſi diſſerere velimus qualem eſſe arbitramur cujuſpiam remotiſſimæ gentis urbem cujuſque nihil aliud quam nomen audivimus.* Et poſtea: *Qui naturalia quæ ſciri ab homine non poſſunt, ſe ſcire putant, furioſi dementeſque ſunt judicandi.* Cap. 8. *Quæ beatitudo erit propoſita, ſi ſciero unde Nilus exoriatur vel quicquid de Cælo Phyſici delirant.* Cap. 20. *Phyſicos non tantum excordes fuiſſe arbitror ſed etiam impios: quod in ſecreta illius cæleſtis providentiæ curioſos oculos voluerunt immittere. Sunt tam ſtulti in aſſeverando quam improbi in quærendo: non enim deſcendit aliquis de cælo qui ſententiam de ſingulorum opinibus ferat: quapropter nemo dubitaverit eos qui iſta conquirunt, ſtultos, ineptos, inſanos eſſe.* Cœlius apud Minutium in Octavio: *Indulgentes inſano atque inepto labori ultra humilitatis noſtræ terminos evagamur & in terram projecti cælum ipſum & ipſa ſidera audaci cupiditate tranſcendimus vel hunc errorem ſaltem non vanis & formidoloſis opinionibus implicemur.*

Alcmæon *Crotoniata* videtur primus

de natura ſcripſiſſe Laërt. VIII. *Juſtinus* Martyr Ariſtotelic. dogm. everſione vult perperam *Ariſtotelis* libros de natura inſcriptos cum principem rerum naturalium cauſam non exprimant. *Riolanus* facti hujus Ariſtotelem ſic excuſat l. de Phyſ. princ. 1. *Ariſtoteles cum intelligeret Deum non Phyſicarum modo ſed peræque omnium rerum eſſe commune principium, à Phyſicis tanquam heterogenos ablegavit & ad Metaphyſicam remiſit.* Item Cap. 3. Galenum excuſat quod ſæpius naturæ quam Dei mentionem faciat: naturam nihil aliud eſſe niſi potentiam Dei. *Verulam.* III. de augment. ſcient. 4. *Phyſica tantum inquirit de efficiente & materia. Ideo de forma & finali cauſa in Phyſicis non tractandum ſed Metaphyſica, quæ Phyſicæ pars. Ideo accuſandi Plato, Ariſtoteles, Galenus, qui in Phyſicis cauſas finales perpetuo inculcant. Uti cum dicunt nubes in ſublimi fieri, ut terram imbribus irrigent. Quin Democriti & aliorum Phyſica multo ſolidior, quod finales cauſas non admiſceat. Atque magis hac in parte accuſandus Ariſtoteles, quandoquidem fontem cauſarum finalium Deum omiſerit & naturam ſubſtituerit pro Deo.* Et Cap. 5. *Cauſarum inquiſitio ſterilis eſt & tanquam Virgo Deo conſecrata nihil parit.* Idem de forma & finali

finali *Taurell.* Anti-Cæſ. p. 389. *J. Heurnius* meth. ſtud. Med. Cap. 4. *In Phyſicis peccant qui per univerſam ætatem de materia prima, de principiis, de infinito, de mundi generatione diſputant & interim ignorant quòd animal ſit cicada aut quæ arbor ſit ſorbus.*

Chinenſium Phyſica ἀμέθοδ☉- eſt & imperfecta. *Acoſta.* 6. 6. Caſiqua *Nicaragua* præſenti Gilgonzalez d'Avila A. 1522. naturam in duabus reprehendit 1. quod non perpetuam diem. 2. quod non perpetuum calorem ſive æſtatem feciſſet, cum nox & frigus utroque priores ſint. Hiſt. *Ind.* l. 5. c. 200.

## CAP. III.

## *De infinito, Vacuo, Loco.*

ARiſtoteles non negat infinitum in actu, potiſſimum in numero. Etſi enim numerus infinitus à nobis numerari non poſſit, poteſt tamen à Deo. *Lucet.* 111. de vita 22. In infinitum intellectione noſtra partiri & finire poſſumus. *Scal.* Ex. VI. 2. plura ἁπλῶς infinita actu non dantur. Ex. CCCLIX. Impii Peripatetici

patetici prope infinities in infinitum progrediuntur. *Taur.* IV. quæſt. 7. Vacuum putarunt infra terram. Vide de Mundo. *L. Valla* l. dial. 17. ſi nihil eſt in natura vacuum, profecto nec plenum aliquid erit, ſicut nec durum niſi fuerit molle. *Danæus* Phil. Chriſt. 38. qui Philoſophi vacuum eſſe in hoc mundo contendunt ipſi cerebro vacui eſſe videntur. *Taurellus* III. quæſt. 4. Omne corpus eſt in vacuo & omne movetur in vacuo; quia nec eſt nec movetur in corpore. Mirum tantillum corpus in vacuo conſiſtere non poſſe cum poſſit tamen maximum. Ubi quæſo mundus ſi non ſit in vacuo? Suprema ſphæra cœleſtis in vacuo movetur. *Epicurus*: niſi eſſet vacuum non haberent corpora in quo moverentur. *Laërt.* X. *Diogenes* Apolloniates: eſſe inane infinitum. *Laërt.* IX. Extra mundum. *Pythagorici* & *Ariſtoteles* teſte Plut. Sed ubi id aſtruat parum comperi inquit *Cæl.* l. A. L. 6. *Piccolomineus* dicit inane veterum nihil aliud eſſe niſi id *nihil* de quo *Ariſtoteles* dixit extra cœlum nihil eſſe I. de Cœlo 9. Sed de eo dubitat *Keck.* Diſputat. XX.

Lucret. —— *Eſt in rebus inane*
*Quod ſi non eſſet nulla ratione moveri*
*Res poſſent.*

Con-

Contra *Stoici:* nihil in mundo vacuum, *Laërt.* VII. Spatium eſſe rem mundo priorem, per ſe exiſtentem, creatum à Deo in quo omnia entia exiſterent vult *Zoroaſter* teſſenii p. 18, 19, 20, 21, 23. definit corpus incorporeum & non corpus corporeum. Ejus proprium vacuum eſſe, maximè omnium ſubſtantiam eſſe, immotum, ſimulare, totum, omnia occupans. Quomodo augmentatio & diminutio fieri poſſit ut non admittatur vacui poſitio oſtendit *Titelm.* V. Phyſ. 5.

*Valla* I. Dial. 17. Ariſtotelici negant locum eſſe corpus, quia ſit ſuperficies. Id ſi ita eſt, ergo non in vaſe ligneo eſt vinum, non in teſtaceo aqua, aut dolium & teſtaceum non ſunt corpora. *Locus* Auguſtino ad Saturnin. eſt *Subſtantia*, quem refutat & vellicat *Voſſius* II. de Anal. 22. Initiorum quadrigæ locus & corpus, tempus & actio. *Varro* IV. LL. Maximum locus, capit enim omnia. *Tales* apud Laërt. I. Cur flammas quidem ſurſum levitas vehit, terram vero deorſum pondus deprimit?. niſi quod hæc ſingulis loca motioneſque conveniunt. *Boët.* III. Conſol. proſa XI. *Lucretius* II. vult omnia corpora ex ſua natura deorſum ferri etiam ignem. *Plau-*

*tus*

*tus* Amphitr. Act. II. Sc. I.

*—— nemo unquam homo antehac*
*Vidit nec poteſt fieri tempore uno*
*Homo idem duobus locis ut ſimul ſit.*

## CAP. IV.

## *De Elementis.*

PRoteus primus de Elementis philoſophatus eſt: idem autem eſt cum Cadmo. *Heinſ.* I. ad Nonnum de ejus mutationibus. *Virg.* IV. Georg. de Vertumno. *Prop.* IV. & 4. *Pythagoras* elementa φύσεως ῥιζώματα vocat. Et *Empedoles:* τέσσαρα τῶν πάντων ῥιζώματα. *Plut.* I. de plac. Philoſ. 3. Vide *Ovid.* I. & XV. met. *Stoici* elementum & quo omnia fiunt & in quæ omnia reſolvuntur. *Laërt.* VII.

*Quatuor* ſunt elementa *Triſmegiſto* & *Empedocli* apud Lactantium II. 13. *Platoni.* Apul. I, de Philoſ. *Ampelius.* l. de memoriali. *Plin.* II. 5.

*Quinque* Ariſtoteli qui Cœlum inſtar formæ & efficientis quatuor elementis adjunxit. *Heſych.* in ejus vita. *Riol.* I. de abd. cauſ.

Tria ſunt elementa, aër, aqua, terra: aëris tertia regio eſt ignis. Seb. *Verro* III. Phyſ.

Phyſ. 4. *Kozak* Phyſ. Moſaica.

*Duo* tantum ſunt elementa calidum & frigidum. *Theophr.* Phil. Sagac.

Aër & aqua. *Helmont* libro: *Complexionum atque miſtionum elementarium figmentum* num. 1. ignis & aqua, *Lactant.* II. 13. VII. 9. ignis & terra. *Parmenides* apud Laërt. IX,

Terra & aqua. *Homerus*: ὑμεῖς μὲν πάντες ὕδωρ καὶ γαῖα γένοισθε.

Elementum nullum à Deo purum creatum. *Zacutus* IV. Med. Hiſt. 794. *Sennert.* II. Phyſ. 2. *Valleſ.* Sacr. Philoſ. 1. & XLV. Elementa invicem & tranſmutantur. *Philo* de mundi incorruptibil. *Pythagoras* apud Ovid. XV. Not. *Iſid.* Peluſiota II. Ep. 43. *Apuleius* de Mundo: aër ex aqua gignitur: ignis ex aëria denſitate conflatur. *Plato* ſolum terram immutabilem dixit. *Laërt.* III. *Apul.* 1. de Philoſ. ita & *Riolan.* 1. de Phyſ. princ. 2. Elementa vita ſunt prædita: abſque hoc terra, aqua, aër vitam indere aliis nequirent. *Zoroaſter* Jeſſenii p. 82. In elementis tametſi non eſt voluntas, tamen eſt aſſenſio atque obedientia. Contentionem de primatu elementorum lege apud *Riol.* 1. de Phyſ. princip. 2, 3, 4, 5.

## CAP. V.

## De Igne.

ANtiqui *aquam* rerum materiam, *ignem* formam fecerunt *Livius* II. Mundum opificis tenere ordinem dixit Parmenides. *Laërt.* IX. Scythæ mundum igne genitum *Juſtin.* II. Unde eum pro Deo coluerunt. *Euſeb.* I. πϱοπ. 6. III. 2. *Seld.* Syntag. II. 8. *Prometheus* dicitur inveniſſe ignem. *Juvenal.* Sat. XV.

*Quem ſumma cœli raptum arce Prometheus*
*Donavit terris.*

*Polyd.* Virgil. II. de Invent. 19. 21. V. 7. *Lucret.*

*Fulmen; detulit in terras mortalibus ignem.*

Elementum ignis eſt Cœlum. *Theophr.* Tomo VIII. *Noll.* II. Phyſ. Herm. II. & hunc *Apul.* II. mot. *ignem Ideatem* vocat. *Ignis* non eſt elementum. *Valla* I. Dial. XI. Fr. *Patricius*, Lamb. *Danæus* II. Phyſ. 8. 9. *Verro* III. Phyſ. 3. *Cardanus* refutat *Scal.* Ex. XXIII. Cur *Moſes* ejus in creatione non meminerit *Thomæ* I. quæſt. 91. art. I. *Huart.* XXII. Scrut. de gen. *Valleſius* per Spiritum Domini putat

putat innui ignem ac per totam naturam & omnia corpora diffundi. I. *Phil.* ſacr. quem redarguit *Kekerm.* II. Phyſ. IO.

Non ingreditur mixta. *Taurell.* Anti-Cæſ. p.684. *Zacut.* II. Med. Hiſt. p. 598.

*Locus* ignis elementaris eſt *Lunæ* concavum ſive cœlum. *Apul.* I: de dogm. Plat. *Quintil.* Declam. IV. ſummo vertice vocatus ignibus vigor. Hinc eum deturbant *Valla, Cardanus, Patricius, Danæus, Jeſſentus, Zacutus,* II. Med. Hiſt. quæſt. 38. *Huartus,* Scrut. Ing. cap. 22. Romani ignem terræ aſſignarunt. *Ovid.* Faſt.

*Nec tu aliud Veſtam quam vivam intelige flammam.*

Eadem autem tellus & Veſta. Tellus Veſtaque numen idem eſt. Vide Pol. *Virgil.* IV. Inv. 14. *Huartus* elementum ignis vult eſſe in centro terræ: quia ibi purgatorium.

Repertæ ardentes ſub terra lampades. *Salmuth* ad Panciroll. Nova Reperta II. *Vives* ad XXI. Aug. C. D. 6. Ignis eſt humidus quia continuus. *Montanus*, quod non placet *Sennerto* III. Phyſ. I.

Eſt elementorum graviſſimum. *Huart.* Scrut. 22. leviſſimum. *Ovid.* I. Met. Unde ſurſum forma pyramidali tendit. *Keckerm.*

*kerm.* II. Phyſ. 12. & in fulmine violenter deorſum truditur; quia oblique cadit.

Ignis vivit ſecundum *Ægyptios* & eſt animata bellua omnia devorans. *Herod.* III. non vivit. *Licet.* III. de vita 15.

Ignes ſubterranei. *Ariſt.* II. Meteorol. 8. *Apul.* l. de Mundo. *Solenander* l. de fontium caloris cauſa. 8. *Langias* II. Ep. Nod. 52. *Camerar.* Cent. III. 17. *Keck.* VI. Phyſ. 5. Horum ignium cauſa quæ ſit diſquirit *Virgil.* in Ætna & concludit ignem ſubterraneum eſſe ſacrum & cœleſtem.

*Uritur à ſacro nunquam non fertilis igne*
*Sed qui non noſtro fervet, modo rarior uſu*
*Sed cœlo propior vel qualis Iupiter ipſe*
*Armatus flamma eſt.*

Ignis *Græcus* in ipſa aqua ardet *Scal.* XIII. 3. *Keck.* Diſput. IV. *Salmuth* ad Panciroll. part. II. tit. 19. Talis ignis *Medeæ* quo Creuſam combuſſit & hujus artis inventor fuit *Prometheus.* Sen. *Medea.* Quædam animalia in igne vivunt. Marc. *Donatus* IV. Med. Hiſt. 26. *Scal.* Ex IX. 23. CXCIV. Salamandra. *Ariſt.* V. Hiſt. Anim. 19. *Sennert.* VII. Phyſ. 10. *Lang.* I. Ep. 66. *Laricem*, linum ἄσβεστον *corallum*, *alumen.* *Salamandram* uri non poſſe vult *Cæl.* VI. 10. *Lemn.* II. N. M. 12. Ex CLXXXV. *Salamandram* uri poſſe probat

*Bro-*

*Brodæus* 111. Miſc. 3. detegens *Cælii* errorem VI. 10. non tamen igne nutriuntur. *Zacut*. 11. Pr. Med. Hiſt. p. 519.

Ignis cum extinguitur in nihilum abit *Valla* 1. Dial. XI.

Ignis uſque homini non fuiſſet neceſſarius ſi in integritate perſtitiſſet. *Kozak* Phyſ. Moſ. p. 60.

Urit etiam ſummum frigus *Ariſtot*. IV. meteorol. 5. *Virg*. l. 1. Georg.

*Boreæ penetrabile frigus adurit.*

*Brodæus* 11. Miſcell. 8.

Ignis infernalis urit dæmones quia ſentiunt. *Huart*. cap. 10. Scrut.

*Cur fundus aheni in igne ita frigidus maneat ut manu innoxie tractari poſſit?* Quia figura ignis eſt *pyramidalis*, & ſe à lateribus in acumen diffundit. Unde experientia docuit fundos acuminatos validius incaleſcere, latos non item. *Ariſt*. Sect. 24. Probl. 5. *Scal*. Ep. 161. 8. *Keck*. Diſput. 9. Coroll. 6. Hinc Crucibula triquetra fundo ſunt acutiori.

*An quædam animalia in igne vivant?* Aff. cum M. *Donato* IV. Med. Hiſt. 26. *Scal*. Ep. 194. 4. non tamen *Salamandra*. Ex. 185. quam uri poſt *Brodæus* probat 3. Miſc. 3. vivunt igitur quædam in igne non tamen eo nutriuntur. *Zac*. 11. Hiſt. Med. p. 519. Vide *Ariſt*. 5. Hiſt.

Hiſt. Animal. 19. *Bartaſ.* 6. Hebdom. *Lactantius* II. IC. VII. 9.

Horum alterum (aqua) nobis commune eſt cum cæteris animantibus, alterum (ignis) ſoli homini datum. Nos enim quoniam cœleſte atque immortale animal ſumus, igne utimur, quæ nobis in argumentum immortalitatis datum eſt, quoniam ignis è cœlo eſt, cujus natura quia mobilis eſt & ſurſum nititur, vitæ continet rationem. Cætera vero animalia quoniam tota ſunt mortalia, tantummodo aqua utuntur.

*An ignis cum extinguitur in nihilum abeat?*

Aff. Laur. *Valla* I. Dial. XI. *Ignis in nihilum convertitur quia de nihilo factus eſt, per quod Deus ſuam patefecit potentiam, ut ſciremus è nihilo aliquid poſſe creari & ex aliquo nihil fieri.*

Miratus *Chryſoſtomus* Homil. VIII ad Antioch. cur cum omnis ignis alta petat, in ſole contrarium Deus fecit, cujus radios in terram faciat vergere tantum dicens ipſi, perſta tu, inferius *propter* & hominibus luce, propter illos enim conditus es.

## Cap. VI.

## *De Aëre.*

*Plin.* II. 5. Spiritus quem Græci noſtri eodem vocabulo *aëra* appellant. *Aër* nihil niſi *aqua* vapore attenuata. *Valleſ.* I. Phil. Sacr. non eſt elementum. *Danæus* II. Phyſ. 9. eſt elementum. *Keck.* II. Phyſ. XI. *Lucret.* VI.

*— Res omnes debent in corpore habere*
*Aëra quandoquidem raro ſunt corpore & aër*
*Omnibus eſt rebus circumdatus appoſituſque.*

Aër natura ſua albus eſt. *Porphyr.* apud Euſeb. IV. πρωπ. 9. *Hofm.* I. de generat. hom. 8. niger eſt. *Philo* apud Euſeb. XI. πρωπ. 12.

Aëre *Chamæleontem* nutriri falſum. *Brodæus* VI. Miſc. 21. vel enim rore ac vaporibus paſcitur vel animalculis per aëra volitantibus. *Zacut.* II. Med. Hiſt. p. 519.

Aër ſummus ſubtiliſſimus. *Auguſtin.* lib. VII. de Geneſi ad liter 2. perhibetur in olympi vertice aërem eſſe tam tenuem, ut neque ſuſtentare alites poſſit, neque ipſos qui forte aſcenderunt homines, craſſioris auræ

auræ ſpiritu alere ſicut in iſtô aëre conſueverunt.

## CAP. VII.

## *De Aqua.*

IN prima creatione erat *Inſtabilis* tellus *innabilis unda*. *Ovid.* I. Met. *Virgil.* II. Georg.

*——fæcundis imbribus æther*
*Conjugis in gremium lætæ deſcendit.*

In aqua pura ſemper eſt aliquid caloris. *Cæſalpinus* IV. quæſt. 2. *Paracelſus.* Fr. *Patricius*, Bernard. *Teleſius.*

Aquam eſſe elementum frigidiſſimum & ſiccum, *Bodin.* II. Theatr. Nat. vult quem refutat *Keck.* II. Phyſ. XI. Mare tepidum eſt, *Cic.* II. de Nat. D. *Minutius* Octav. *Britannia ſole deficitur ſed circumfluentis maris tepore recreatur.*

Aqua puriſſima ſub æquatore mucida fit, fœtet, mox putreſcit, dein videſcit atque ultimò rubeſcit horrore inſigni. *Helm. Linſchoten.*

Thales rerum omnium initium aquam dixit *Cic.* I. de Nat. D. *Minutius* Octavio.

Aqua mutatur in ventum & aërem. *Palingen.* XI. refert ſe Romæ vidiſſe imaginem

ginem fictilem quæ ex incluſa aqua igne calefacta, aërem expiraret.

Aquæ *ſupercœleſtes* ſunt cœlum beatorum. *Noll.* 11. Phyſ. Herm. 2. *Bartaſ.* 11. Hebd. *Nierenberg.* 11. Hiſt. Nat. 14. Non dantur Alb. *Magnus* in 11. Sent. diſt. 14. art. 1. *Keck.* vii. Phyſ.

De cauſa calidarum aquarum, vide *Reiner.* Solenandrum. Incaleſcunt ab igne ſubterraneô *Munſt.* 1. Coſm. 6. *Lang.* 11. epiſt. 52. *Cæl.* xvi. 44. *Cæſ.* l. de Mineral. 6. *Apul.* de Mundo.

Aqua ſola non nutrit. *Zacut.* 11. Hiſt. Med. p. 516 519. In Inſula *Ferro* aqua ex arbore. *Linſchot.* c. 96. Ind. etiam in *Lithuania* & *Ruſsia* ex quercubus ingentibus verno tempore inciſis tanta copia aquæ profluit ut etiam rivi ex iis concreſcant. Le *Maire* Theatro p. 351.

De veris fontibus *Nili* repertis, vide *Kircheraum* Oedipi Tomo 1. p. 56.

## Cap. VIII.

## *De Terra.*

PUlcherrimi Operis pulchra portio. *Boët.* 11. Conſ proſa v. Ejus Encomia apud *Cæl.* l. 3. *Zacut.* iv. Med. Hiſt. p 791. *Apul.* de Mundo. *Palingen.* vii.

— *Elementorum certo eſt viliſſima tellus*
*Et quaſi fex quædam iccirco faber optimus illam*
*Inferiore loco fixit.*

Terra eſt rotundum irregulare ſicut rota cui clavi infixi P. de *Medina* I. Artis Nauticæ 13.

*Geminus* de apparent. cap. 13. Terra in medio ponitur mundi, σημεῖυ τάξιν ἐπέχυσα puncti rationem obtinens. Eſt materia. *Lucret.* V. παμμήτωρ. vocat *Oppian.* I. ἁλιευτ. quia non aquarum modo in ſe fontes habet verum ſpiritu & igni fœcunda eſt. In medio ſuſtinetur ab aëre. *Plin* II. 5. *Lucret.* I. & V. *Lactantius* III. 24. irridet eos qui terram Centrum mundi ſtatuunt ac Epicuri opinionem amplectitur quod & *Hieron.* in Epiſt. ad Epheſ. lib. II. facere videtur.

Terra eſt elementum calidum. *Patricius, Caſmannus, Goclenius.* Frigidiſſimum *Keck.* II. Phyſ. 13. aquâ minus frigidum. *Semnert.* III. Phyſ. I. *Cæl.* XIII. 46.

Terra movetur velut vehicula acta. *Leucippus* apud Heſych. in vitis *Laërt.* IX. movetur circa primum circulum. *Philolaus.* *Laërt.* VIII. circa medium. *Plato.* *Laërt.* III. cum aëre. *Copernicus*

*nicus* I. Revol. 4. *Zoroaſter* Ieſſenii. *Claudian.* IV. Conſ. Honorii,

*Et qui perpetuo terras ambitque vehitq;*
*Nec premat incumbens oneri nec ceſſerit aër.*

Non movetur. *Ariſtot.* II. de Cœlo. 13. 14. Platoni terra immobilis ſtat. *Apul.* I. de dogm. Plat. Vivit. *Danæus* III. Phyſ. Chriſt. 28. *Coll.* Rhod. l. 3. 18. Non vivit. *Keckerm.* II. Phyſ. 13.

De Turfis *Guicciard.* in Friſia. Cutb. *Tonſtallus* Epiſt. ad Eraſmum. *Selandicas* vituperat ob gravem odorem: audivi ab indigenis veſtras Hollandicas thus olere præ illis. *Carbonarius* lapis quo Hannones, Leodii, Namurcani utuntur, inventus A. 1198. à peregrino quodam qui eum eum fabro monſtraſſet, ſtatim diſparuit. *Guicciard.* in Leodio.

Arena bullieus eſt terra Originalis & Virginea. *Helm.* lib. de Terra & l. *Paradoxum* primum num. 5. 6.

Globus terræ rotundus ab ortu in occaſum: teres ſive ovalis ab auſtro in aquilonem. Terra atque mare verſus boream aſcendit. Scandia longe altior Ægypto quoad ſitum. *Helm.* de Aqua num. 13.

## CAP. IX.

## *De Generatione, & Corruptione.*

OMnia orta occidunt & aucta ſeneſcunt. *Salluſt.* Epiſt. ad Cæſ.
*Pythagoras* apud Ovid xv.

*— omnia mutantur nihil interit*
*Nec perit in tanto quicquam mihi credite mundo*
*Sed variat faciemque novat; naſcique vocatur*
*Incipere eſſe aliud quam quod fuit ante morique*
*Deſinere illud.*

Cauſa ſunt motus Cœli. *Titelmann.* v. Phyſ. 22. Calor & humor. *Ovid.* 1. Met. Fab. 22.

*— ubi temperiem ſumſere humorque calorque*
*Concipiunt & ab his oriuntur cuncta duobus.*
*— diſcors concordia fœtibus apta eſt.*

*Lactant.* 11. 10. Terra mater Cœlum & Sol pater. *Ariſt.* 1. de gen. 2. *Heraclitus* ex igne, *Thales* ex aqua omnia oriri voluit.

luit. *Lact.* II. 10. Unde agricolæ ad fertilitatem agros incendunt. *Virgil.* I. Georg. *Lucan.* IX.

Non omnium animalium ſpecies principio creata *Cæl.* l. 2. *Keck.* Diſput. xx. probl. 9. perfectiſſima generantur ex coïtu: imperfectiſſima ut vermes, pediculi naſcuntur ſponte: imperfectiora ut mures & generantur & naſcuntur. *Valleſ.* I. Sacr. Philoſ.

*Sennert.* VII. Phyſ. 10. Mugiles aliquos non coïtu ſed limo arenave naſci conſtat. *Ariſt.* V. Hiſt. Anim. XI. VI. 15. Non omnis fert omnia tellus. *Virg.* I. Georg.

*Hic ſegetes illic veniunt felicius uvæ*
*Arborei fœtus alibi atque injuſſa vireſcunt*
*Gramina, nonne vides croceos ut Tmolus odores,*
*India mittit ebur, molles ſua thura Sabæi.*
*At Chalybes nudi ferrum.*

De furnis Ægypti in quibus pulli excluduntur *Buſbeq.* Epiſt. III. *Gabriel* Sionita c. 9. de moribus Oriental. *Mandevill.* cap. 16. Itiner. *Chriſtell.* III. 16. *Fuhrer* Itinerar.

Corpora humana altius ſub terra defoſſa non putreſcunt. *Plater.* quæſt. 9.

Cent. poſth. ubi inquit: *Falſam magnatum perſuaſionem videre licet, qui naturali hac corporum à putredine vindicandi ratione neglecta artificiali per balſama utuntur.*

## CAP. X.

## *De Occultis qualitatibus.*

DAntur occultæ qualitates. *Lemnius* III. 4. *Eraſtus* de occultis medicam. proprietat. 4. apud *Smetium* in Miſcell. *Keck.* I. Phyſ. 8. & cauſæ multarum ab occultis cœli influentiis petendæ. *Sennert.* II. Phyſ. 2.

Suntque vel *antipathiæ* vel *ſympathiæ*. Exempla habet Mart. *Donatus* VI. Hiſt. Medic. 3. *Camerar.* Cent. I. 78. *Lang.* I. Ep. 33, 34. *Petrarcha* Præfat. in II. de Remed. fort.

Diſſentiunt braſſica & vitis, Ichneumon & Crocodilus, Elefas & Rhinoceros. *Ripl.* II. de abd Cauſis 18. *Barthol.* de Rhinocer. cap. 2. Lupus & Equus. *Camerar.* Cent. I. 23. II. 90. Serpens & & ſaliva hominis. *Lucret.* IV.

– *Serpens hominis quæ tacta ſalivis*
*Diſperit ac ſeſe mandendo conficit ipſa.*

Olea quercui inſita moritur. *Plin.*

Prius à lupo conſpecti fiunt muti. *Zacu-*

*Zacutus* II. Hiſt. Med. p. 156. Nobilis Anglus Graviſſimè afficiebatur ad præſentiam felis. *Quercet.* Polyhiſt. Sect. I. c. 8. & Italus. *Sanctor.* VIII. Vit. Err. 10. Æmylius *Campanellus* Medicus poma ferre non poterat. *Wilhelmus* Epiſcopus Baſilëenſis florem *Cheiri* & violas Martias. *Deodat.* I. Panthei cap. XI.

Scribit *Avicenna* ſua ætate vixiſſe hominem quem omnia venenata fugerent. Baſilius à *Spitzberg*, Profeſſor Matheſeos in Academ. Pragenſi porcellos aſſos ferre non poterat. *Kozak* Phyſ. Moſ. cap. 17.

*Demophon* menſæ præfectus Alexandri, ad umbram calefiebat in ſole frigebat. *Laërt.* IX.

Conſentiunt Cervi & attagines; Delphini & homines, pſittaci & lupi. *Oppian.* Κυνηγ. II. ἁλιευτ. V. Sus & fimus. *Laërt.* IX.

Ita quod animantibus ſalubre homini noxium & contra. *Lucret.* IV.

*Quod aliis cibus eſt aliis fuat acre venenum.*

*— nobis veratrum eſt acre venenum*
*At Capreis adipes & Coturnicibus auget.*

Lib. V. *Quippe videre licet pingueſcere ſæpe cicuta*
*Barbigeras pecudes, homini quæ eſt acre venenum.*

 Vide

Vide eundem plura memorantem libro VI. & *Laërtium* in Pyrrhone libro IX. *Palingen.* VIII.

*Talia multa Deus tenebris involvit opacis*
*Conſtituitque ſuos fines mortalibus ultra*
*Quos fruſtra humanum ingenium ſenſuſque laborant.*

Et lib XI.

*Plurima ſunt quæ cum fieri non poſſe putemus*
*Sæpe tamen fieri poſſunt & facta videmus,*

Catull. Ep. 86.

*Odi & amo: quare id faciam fortaſſe requiris*
*Neſcio ſed fieri ſentio & excrucior.*

Multa tamen fabuloſa ſunt. Veluti quod leo Galli cantum tolerare nequeat. *Lucret.* IV. Contrarium experientia docet. *Camerar.* Cent. 1. cap. 22. In Auſtria gemellos feras ſolo corporum tactu aperuiſſe. *Langius* 1 Ep. 34. quod pro mendacio habet *Delrio* 1. diſquiſ. Magic. cap. 3. quæſt. 4. vel ſi factum Dæmonum præſtigiis adſcribit.

## Cᴀᴘ. XI.

# *De Mundo.*

MUndus ſummarum ſumma à *Lucret.* III. & V. *Univerſum* ſive Πᾶν appellatur ab *Auguſt. Tertull.* qua tamen voce offenduntur nonnulli tanquam arrogantiori & ſuperbiori. *Danæus* in cap. 10. Enchirid. ad Laurentium & Phyſ. *Chriſt.* cap. 9. *Keck.* Diſp. XX. Probl. XI.

Κόσμον primus *Pythagoras* appellavit. *Plut. Galenus*: Πυθαγόρας πρῶτος ὠνόμαζε τὴν τῶν ὅλων περιοχὴν κόσμον.

*Laërt.* quod tamen alii ad *Parmenidem*, *Zeno* ad *Heſiodum* refert & vox hæc paſſim in fragmentis *Hermetis* Triſmegiſti legitur *Sennert.* II. Phyſ. I. *Plin.* II. 4. quem Κόσμον Græci nomine ornamenti appellaverunt nos à perfecta abſolutaque elegantia mundum. Cœl. *Rhodig.* l. A. L. 5.

Definitiones varias mundi refert *Apul.* 1. de dogm. Plat. *Ampelius*: Mundus eſt univerſitas rerum in quo omnia ſunt & extra quem nihil. Vide libellum elegantiſſimum de Mundo quem *Juſtinus* Martyr & alii Ariſtoteli tribuunt aut Theophraſto. *Apul.* l. de Mundo. *Stobæus* eum citat tanquam Epiſt. ad Alexan-

 drum.

drum. *Danæus* in c. 9. Enchirid. ad Laurent. & *Voſſius* in addendis ad l. de *Anal.* negant eſſe Ariſtotelis.

*Lipſius* l. de Conſt. 18. Talis in divinis ubique fere Ariſtoteles eſt: libellum illum de mundo excipio qui totus aureus ab aliâ mihi videtur & magis cœleſti mente.

Fuerunt qui plures mundos ſibi imaginarentur. *Anaximandri* opinio eſt innumerabiles eſſe mundos. *Cic.* 1. Nat. D. *Xenophanes*, *Democritus*, *Diogenes* Apolloniates, *Leucippus*. *Zeno* & in univerſum omnes Epicurei. *Laërt.* *Lactant.* de Ira Dei cap. x.

*Lucret.* II. —— *Cælum ſimili ratione fatendum*
*Terramque & Solem, Lunam; Cætera quæ ſunt*
*Non eſſe unica ſed numero magis innumerali.*

*Claudianus* in Conſul. Mallii de Epicuro.
*Ille ferox unoque tegi non pulſus Olympo*
*Immenſum per inane volans finemque peroſus*
*Parturit innumeros anguſto pectore mundos.*

Et *Claudianus* Mamertus ad Colleam:
*Ne vagus innumeros Epicuri ſomnia mundos*

*Quos*

*Quos atomis demens per inane parentibus edit (ras.*
*Irritus in vacuum ſpatiato pectore quæ-*
*Origenes* correcturus errorem pluresmundos non quidem *ſimul* ſed *ſucceſſive* ſtatuebat; quam ſententiam ipſi tribuunt Theologi *Leidenſes* in Synopſi diſputat. *Plin.* 11. 2. Furor eſt innumerabiles tradere mundos. *Sennertus* 11. Phyſ. 1. negat unitatem mundi rationibus Philoſophice probari poſſe: id quod tamen facit. *Licetus* 11. de vita 47. Veteres infernum putabant alium mundum eſſe ſub terra. *Orpheus* apud *Ovid.* x. Met.

*-- ô poſiti ſub terra numina mundi*
*In quem decidimus quicquid mortale creamur.*

*Claud.* 1. de Raptu.

*- gemineque facit commercia mundo*
*—— ſunt altera nobis*
*Sidera, ſunt orbes alii.*
*Jam nunc inferno proceſſerat Heſperus orbi.*

Cauſam mundi efficientem Deum eſſe. Triſmegiſtus *Hermes*, *Sibyllæ*, *Pythagorici*, *Stoici*, *Peripathetici*, pro indubitato habent, primus *Epicurus* negavit. *Lactant.* 11. 9. & de Ira Dei 13. *Thales:* pulcherrimus mundus: à Deo enim factus eſt. *Laërt.* 1. finem Mundi eſſe hominem.

*Ovid.* 1. Met.

—— *Cœlumque tueri*
*Juſsit & erectos ad ſidera tollere vultus.*

*Anaxagoras* interrogatus cur natus eſſet: reſpondit Cœli Soliſque videndi cauſa: quanquam hoc riſu proſequatur *Lactantius* III. 9. 23. VI. ſ1. putans neſcientem Philoſophum in hoc prorupiſſe, defendit tamen *Cæl* Rhod. 1. A. L. 19. *Torchillus* celebris in Iſlandia Vir in agone adverſo Soli ſemet exponi curavit, Cœlique & totius mundi opificium palam admiratus, ei Deo qui Solem reliquaque creaſſe ſidera, fugientem moriens commendavit animam. *Arngrimus* Jonas in Iſlandia.

*Epicurus* ut efficientem mundi ita etiam finem negavit neq; hominum cauſa conſtitutum voluit. *Lactant.* VII. 3, 4, 5, 6. *Lucret.* V.

Duplex *Platonicis* mundus intellectualis & viſibilis.

*Intellectualis* etiam *Archetypus* dicitur. *Palingen.* VII.

*Senſibilis mundus mundo defluxit ab illo*
*Mentali archetypo.*

Neque improbat mentem Platonis. *Auguſtin.* 1. Retract. 3. Deſcriptionem mundi intellectualis ubi omnia quæ feruntur conſpiciuntur, vide apud *Martianum* Capel-

Capellam l. de Nuptiis Philologiæ. Scholaſtici *ſpeculum* Trinitatis vocarunt.

*Infinitum* mundum voluit *Anaximander*, *Seleucus* & Fr. *Patricius*.

Si finitus mundus & alicubi terminatus quid extra eum? *Plin.* II. I. Mundi extera indagare nec intereſt hominum nec capit humanæ conjectura mentis. Furor eſt menſuram ejus animo quoſdam agitaſſe & prodere auſos. *Apul.* Apolog. de Platonicis: ſecta iſta etiam Cælo ipſo ſublimiora quæpiam inveſtigavit & in extimo mundi tergo degit.

*Figuras ſuis mundis* varias tribuerunt *Epicurei*, ſphæricas, ovales, turbinatas. *Laërt.* VII.

Plerique rotundam *Ariſtot.* II. de Cœlo 4. *Laërt.* VII. *Plin.* II. 2. quam tamen opinionem irriſerunt antiqui Patres *Chryſoſtomus* Hom. VII. & XIV. in Epiſt. ad Hebr. *Theodoretus*, *Theophylactus*, ad Hebr. VIII. *Lactant.* III. Inſt. 24. *Auguſtinus* dubitat an terra undique Cœlo cingatur. lib. 2. de Geneſi ad tit. cap. 9. & non poſſe demonſtrari Cœlum eſſe rotundum. In *Pſalm.* 135, *Vigilius* Epiſcopus Juvavienſis hæreſeos damnatus quod Antipodas ſtatuerat. Putabant mundum *domui* ſimilem cui Cœlum tanquam tectum ex una tantum parte non undique immi-

immineat. Ita *Homerus* & veteres Poëtæ pene omnes planam præſuppoſuerunt terram & Cœlo connexam. *Geminus* de apparent. Cœl. 13. Infra terram eſſe Chaos ſive vacuum inane immenſum ac infinitum. *Lactant.* III. 2. *Hieron.* in Epiſt. ad Epheſ.

Sed rotunditatem Cœli & terræ primus experimento aſſeruit. Ferd. *Magellanes,* navi *Victoria* Orbem circumvectus. Joh. *Acoſta* l. Hiſt. Nat. Ind. 2. & 5. Nihil tamen de rotunditate mundi ex verbo Deo definiri poteſt. *Danæus* Phyſ. Chriſt. 13. *Aſlach.* 1. Phyſ. 13.

Si creatus mundus, quo tempore? Alii *Vere,* menſe Aprili. *Virgil.* II. Georg.

*— Ver illud erat ver magnus agebat*
*Jupiter —*

Alii autumno & Septembri. *Cœli* l. 8. *Dan.* Phyſ. Chriſt. 39. *Aſlac.* 1. Phyſ. 13. *Bodin.* Meth. Hiſt. 8.

*Keckerm.* VII. Phyſ. dicit quæſtionem præpoſteram eſſe.

Eob. *Heſſus* ad II. Georg. Nemo Deo fuit à Conſiliis & impium fuerit fortaſſe velle hæc rationibus ullis altius proſequi Scholaſtici quærunt utrum Deus potuerit mundum creaſſe ab æterno? G. *Biel* in II. Sent. diſt. l. q. 3. vel ex æterna materia. *Stoici* apud *Quintil.* Declam. IV.

Deus

Deus hæc autor operis univerſi ex illa rudi primaque caligine poſuit in vultum, digeſſit in partes. Et hoc eſt illud Chaos quod negat *Keck.* Diſput. xx, Probl. 5. & vii. *Phyſ. Syſtem.* Theol. l. 6.

Aff. *Danæus* Phyſ. Chriſt. 21, 22, 23. negat tamen inde probari *Anaxagoræ* σύγκρισιν & διάκρισιν. cap. 25.

## Cap. XII.

## *De Mundi Origine.*

De Mundi Origine antiquorum opiniones compendio refert *Lactant.* de Ira Dei, cap. 10. *Euſeb.* 1. πρῶτ. 4, 5. *Mornæus* de ver. Relig. Chriſt. c. 9. In duas præcipue ſectas diſceſſum fuit, quarum una æternitatem, altera principium mundi ſtatuebat. Prioris caput ſtatuitur *Ariſtoteles, Lactant.* vii. 1. cujus tamen ſententiam benignè interpretatur *Keckermannus* vii. Phyſ. excuſat *Thomas* Aquinas & *Fortunatus* Crellius, defendit Scal. Ex. iii. v. & lxviii. 3. *Palingen.* xi. Picus *Mirandulanus*, Paulus a *Scala*, ſed judicio Mornæi c. 9. de V. R. fruſtra *Goclen.* Anal. Ex iii. *Scalig.* Hinc ſeptem fundamenta Ariſtotelis refutat.

*Alb.*

*Alb. Magnus* II. ſent. diſt. I. art. 10. *Mornæus* cap. 9. *Strozzius* Cicogna part. I. Theatri Nat. lib. I. cap. 8, 9, 10, 11. *Keck.* VII. Phyſ. *Danæus* Phyſ. Chriſt. cap. 5. *Paræus* in I. Gen. *Magius* l. de Exuſtione Mundi I. *Valleſ.* I. Phil. Sacræ. *Bodin.* Meth. Hiſtor. cap. 8. An autem Ariſtoteles ſit author libelli de Mundo dubitatur: ſunt qui Theophraſto; ſunt qui alii adſcribunt. Vives in Aug. de C. D. lib. IV. 2. Colleg. Conimbric. in proclivio lib. Phyſ. Ariſt. 4, 5. art. 4. *Plin.* II. I. Mundum & hoc quod alio nomine Cœlum appellare libuit, numen eſſe credi par eſt, æternum, immenſum, neque genitum neque interiturum.

Poſterior eſt *Platonica*, quanquam jam ante Platonem vetus eſt ſententia. *Orpheus* enim canit in Argonauticis,

Πρεσβύτατόν τε καὶ αὐτοτελῆ πολύμητιν
Ἔρωτα·
Ὃς τάδε ἔφυσεν ἅπαντα.

*Linus* operis ſui Phyſici hoc initium fecit:

ἦν ποτέ τοι χρόνος ὅλος
ἐν ᾧ ἅμα πάντ' ἐπεφύκει.

*Laërt.* I. idem *Anaxagoras.*

Unde *Pherecydes* Deum cum mundum conderet ſe in amorem mutaſſe ſcripſit apud Proclum. Dubitatum tamen fuit de

de *Platone* annon mundum ſtatuerit æternum? Affirmavit aliquot argumentis *Proclus*, eumque ſecutus *Cicogna* part. 1. l. 1. c 8. quos refutat *Mornæus* c. 9. & Ioh. *Bernartius* ad v. Boëtii de Conſolat. qui diſcipulos Platonis, Photinum, Jamblichum, Porphyrium hanc præceptori ſuo ſententiam affinxiſſet ſcribit. *Boëtius* diſtinguit v. de Conſol. Platonem ſequentes, Deum quidem æternum, mundum vero dicamus perpetuum. Negat *Ariſtot.* VIII. Phyſ. *Philo*, *Plutarch.* de dogm. *Aphrodiſæus*, *Simplicius*, *Tertull.* in Apologet. *Gel.* l. 8. Duraturum tamen perpetuo ſtatuebant ejus ſectatores. *Apul.* 1. de dogm. *Plat.* vide *Lactant.* II. 11. VII. 3. Recte Ægyptii; mundum genitum mortalemq; futurum & ad ſphæræ ſimilitudinem rotundum. *Laërt.* 1.

Gravior quæſtio fuit de *anima* Mundi; plerique enim omnes animam & vitam, nonnulli etiam intellectum mundo tribuerunt. Nihil nunc de Stoicis dicam qui naturam cum Deo confundentes, dicebant Deum eſſe mentem mundi & mundum eſſe corpus Dei, eſſe rationalem. *Laërt.* VII.

*—— Totamque infuſa per artus*
*Mens agitat molem & magno ſe corpore miſcet.*

*La-*

*Lactant.* VII. 3. qui etiam Stoicorum argumenta refutat II. 6. Eadem Ægyptiorum fuit opinio ut ibidem teſtatur & Hermetis, Zoroaſtris, Orphei, Thaletis à quibus *Pythagoras*, hauſit & *Plato* imprimis propagavit, ut ex Timæo & Axiocho & Laërtio patet. *Quintil.* V. 14. *Plin.* II. I. *Ariſt.* I. de Plantis I. II. de Cœlo I. 13, 63. III. de generat. Animal. II *Sennert.* de Conſ. & diff. 7. *Chymici* animam mundi vocant Spiritum virtuoſiſſimum qui ubiq; unus eſt & per quem omnia operantur. *Nollius* prodr. Phyſ. Herm. c. 5. Diſtinguendum inter primam informantem & aſſiſtentem. Mundus *informantem* animam non habet *Ariſt.* I. de anima t. 49. unde eam opinionem damnarunt Patres. *Hiſt.* Eccl. XVII. 27, 28. *Aſſiſtentem* mundi animam defendunt *Zoroaſter* Ieſſenii p. 73. ut mundi corpus duraret animo indiguit: ſine hoc animo totus jaceret mundus cadaver, & p. 62. Unus mundo animus eſt ſic tamen ut partes ejus principes proprios habeant animos minoribus participantes & hi minimis: exemplo ſunt ſtirps & animalia quibus vermes innaſcuntur. *Joh. Riolanus* in libello de anima mundi, ubi tamen Platonicam animam rejicit & nihil ſe unquam commento animæ iſtius legiſſe

giſſe futilius teſtatur. Et de abditis rerum cauſis lib. 1. cap. 1. *Appella igitur quomodo libet vim illam & effectus plane divinam quam vides diffuſam per univerſum, Spiritum ſeu animam mundi, naturam naturantem, ordinariam Dei potentiam, vim ſingulorum omnium genitricem & conſervatricem, de nomine parum laborabo, dummodo de re conſtet.* Vide & *Scal.* Ex VI. 1, 2, 7. Fortunius *Licetus* omnium prolixiſſime & clare animam mundi aſſeruit in libris de Vita, Lib. 2. cap. 1. *Aſſeverare mundum totum cæleſtemqne Sphæram quamlibet eſſe corpus vivum & animatum rationi eſt maximopere conſentaneum. Cæli & mundi anima dicitur eſſe purus intellectus abſque vegetali & ſenſuali anima.* Mundus ergo cœleſteſque Sphæræ vivunt eaque facultate cognoſcendi pollent quæ omninm viventium ſubliminarium virtutem cognitricem longè ſuperet, cujuſmodi eſſe dicitur mens divina ſeu intelligentia ſeparata, *cap.* 6. Cœleſtia corpora habent' animam aſſiſtentem ſive à corpore ſeparatam. Idem prolixius probat *cap.* 9. & *cap.* 29. Vita cœliſtis nihil aliud eſt quam præſentia Phyſica mentis immaterialis ipſi Cœlo, *cap.* 30. Conſervatur hujuſmodi vita non niſi cognitione & deſiderio ſive amore intelligentiæ

tiæ ſeparatæ erga Cœlum & viciſſim amore ſeu deſiderio & intellectione Cœli erga mentem divinam, *Cap.* 34. Si Deus non dicitur eſſe forma toti mundo aſſiſtens, nihil erit profecto unde mundana hæc fabrica ſit una numero ſubſtantia & unum vivere quemadmodum revera exiſtit. Eſt ergo Deus optimus forma & anima totius mundi, univerſo ipſi & ſingulis ejus partibus aſſiſtens, *Cap.* 43. Vita totius mundi nihil aliud eſt quam aſſiſtentia primæ intelligentiæ orbi univerſo ſive præſentia Dei toti mundo atque hæc fuit Ariſtotelis ſententia, & *Virgil.* v. Æn. & *Gel.* III. *Jovis omnia plena*, lib. III. cap. 44. latius probat Deum eſſe animam mundi aſſiſtentem quę hoc ſenſu admitti poſſunt: ſicut omne corpus mens & animus gubernat: ita mundum Deus. *Lactant.* de Ira Dei, 10.

Mundus eſt perfectiſſimus, *Eccl.* III. 14. Impie *Alphonſus* X. Rex Hiſp. Si creationi affuiſſem, mundum melius ordinaſſem. Itaque à Deo caſtigatus fuit. *Rodericus* Sanctius IV. 5. *Danæus* II. Eth. 9. Cur autem qnædam mala videantur & incommoda *Apul.* de Mundo. *An Mundus nunc quam olim ſit imperfectior?* Aff. *Cyprianus* contra Demetrianum. *Leucippus*: mundum augeri & imminui

& ta-

& tabeſcere. *Heſych.* Vitis. Idem *Lucretius* II. & V. mundum hodie quam olim anguſtiorem. *Taurell.* III quæſt. 8. Anti-Cæſ. Negat *Jonſton* libro de Naturæ Conſtantia. Conſervatur enim à Deo. *Apul.* de Mundo: neque ulla res tam præſtantibus viribus eſt, quæ viduata Dei auxilio, ſuâ natura contenta ſit. Unde mundum perpetua creatione conſervari volunt. Idem dicit mundum valente habitudine, pubertate juvenili. *Conimbricenſes* & *Auguſtinus*, quos refutat *Keck.* Diſput. XX. Probl. 8. Neque tamen omnes res prout creatæ permanſerunt, etiam quoad accidentia quædam. *Pythagoras* apud Ovid. XV. Met. *Apul.* de Mundo. *Lactant.* VII. 3. *Lipſius* I. de Conſt. 16. Ita *Sicilia* continente abſciſſa. *Juſtin.* II. & IV. *Lucan.* III. *Virgil.* III. *Claud.* I. de Raptu. Ita Boſphorum Cimmerium in creatione non fuiſſe probabile. Deſcript. *Tartaricæ.* Xenophanes *Colophonius* terram tandem omnino in aquas abituram. *Euſeb.* πϱοπ. 5.

Communis opinio eſt mundi *exuſtionem* futuram de qua libros quinque ſcripſit *Hieron.* Magius. *Ovid.* II. Met.

*—— aſſore tempus*
*Quo mare quo tellus correptaq; regia Cæli*
*Ardeat & mundi moles operoſa laboret.*

*Lu-*

*Lucan.* I. & VII.

*Communis mundo ſupereſt rogus, oſſibus aſtra*
*Mixturus.*

Unde autem illi ignes? Deus in fine mundi ignis & ſulfuris pluviam demittet. *Magius* III. 2. Aon. *Palearius* II. de Immortal. Animæ. Picus *Mirandula:* qui cognoverit proprietatem Aquilonis intelliget cur Deus mundum judicarit per ignem. Atque hoc vetus eſt inquit *Bodinus* cap. 5. Meth. Hiſt. non modo *Pici* ſed etiam *Heracliti* ut ait *Plut.* & *Hebræorum* opinio qui ignes non è cœlo delapſuros ut putat *Magius*, ſed ex intimis terræ viſceribus erupturos confirmant.

An vero *mundus ſecundum totam ſubſtantiam interiturus?* Aff. *Scal.* Ex LXI. 5. *Taurell.* Anti-Cæſ. p. 339. *Valleſ.* Phil. Sacr. cap. ult. *Paracelſus* Sag. 3. qui *vitrificandum* putat. Hinc Chriſtiani accuſati quod interiturum mundum crederent. *Minutius* Octavio. *Balbus* Stoicus apud *Cic.* II. de Natura D. *Juſtin.* Apol. II. Stoicorum opinione ipſum Deum ſolvi in ignem & mutatione mundi reparari. *Plut.* de defect. Oracul. Negant. *Keck.* Diſp. XX. Probl. 17. *Auguſtin.* XX. C. D: 24. *Hieron.* in LI. & LXV. Eſaiæ. *Gregor.* XVII. Moral. 5.

CAP.

## Cap. XIII.

## *De mirabilibus Mundi.*

Multa de naturæ miraculis referuntur quæ tamen in pleriſque falſa ſunt. Facile quidem crediderim quod *Saxo* in Chorogr. Daniæ de Iſlandia ſcribit: eſſe ibi fontem cuncta in lapidem transmutantem; ignes in aquis ardentes; undas letales potantibus; ſed non par fides, Saxum abſque extrinſeco motu proprio agitatione altiſſimos montes pervolitare. Ita quæ de fontibas una die calidis ſimul & frigidis ſcribunt. *Curt.* IV. 7. *Ovid.* Metam. non abhorrent à veritate: audiri in Salinis Bochnenſibus canum Gallorum, aliorumque animalium voces. *Crom.* 1. Pol. ſed infinita alia ab antiquis conficta ſunt. *Gell.* IX. 4. X. 12. *Voſſius* de arte Hiſtor. 9. quorum ſpecimen exhibet *Plinius* XXVIII. *Ampelius* c. de miraculis mundi. *Solinus* cap. XII. Alicubi fraus humana acceſſit ut in ſtatua *Amenophis* quæ Sole Oriente vocem edere dicebatur. *Euſeb.* Chron. vel etiam geſtus Dæmonum ſuperſtitione hominum illudentium ſuis præſtigiis quod de lacu Pilati Lucernates cui ſimile quod de Lycei fonte

fonte *Pauſanias* habet referunt, *Munſter.* 11. Coſm. 73. *Simlerus* de Alpibus. Ac fatetur *Nierenbergius* 11. de Miraculoſis naturis in Europa, *Cap.* 28. vanam de hoc lacu traditionem & ſuperſtitionem eſſe: ſæpius ſtudio aliquid injectum fuiſſe neque tamen illas tempeſtates & inundationes conſecutas. Talia ad aniles potius fabulas releganda quæ tamen in hiſtoriis quoq; locum repererunt, ut quod de Cornu *Oldenburgenſi*, de *freno* equi ignoti & in *Friſia* Orientali adhuc extante narrant. Minus mirum qnatuor poſſeſſores equi Seiani miſerè periiſſe, Cn. Seium. C. Dolabellam, C. Caſſium, M. Antonium *Gell.* 111. hoc enim in humanis non infrequens eſt.

Illuſit etiam impoſtura eruditiſſimis viris *aureo* pueri Sileſii *dente*, cum *Rulandus Ingolſtetterus Horſtius* contrariis ſcriptis inter ſe rixarentur de cauſa, illis naturalem his præternaturalem operoſe aſtruentibus: cum tandem mera impoſtura dens lamina aurea tectus deprehenderetur. Incredibile viſum *Cromero* 1. de Polonia in majori Polonia prope ſcremum reperiri in colle quodam ollas, amphoras, cacabos, aliaque fictilia variarum figurarum ſub terra naſcentia & quamdiu humo teguntur, mollia, in aëre

indu-

indureſcere. Idem prope Trebinzium in Sileſia fieri *G. Ubenus* apud Scholtzium Epiſt. Medic. 82. teſtatur & exiſtimat talia vaſa ex ſepulchreto gentilium erui qui cineres & oſſa fictilibus ſub terra condiderint, ubi longinquitate temporis emollita in argillam convertantur quæ aëri expoſita duritiem reſumat.

## Cap. XIV.

## *De Cœlo.*

Cœlum quia creatum, *Plin.* II.4. levis ac diffuſilis æther, *Lucret.* v. quis niſi furioſus auſit dicere quid ſit, *Valla* I. Dial. XI. Unde *Diogenes* ad eum qui de cœleſtibus differebat: quando inquit de cœlo veniſti? *Laërt.* VI. Et *Socrates* quæ ſupra nos nihil ad nos, cujus cenſuram vide apud *Lactant.* III. 20.

Cœlum & extrema circumferentia, *Laërt.* VII. extra Cœlum neque corpus neque locus, neque tempus. *Ariſt.* I. de Cœlo, cap. 9. Cœlum non eſt ſphæricum, *Helmont.* I. de Aqua num. 13.

Cœlum movetur, *Apul.* de Mundo: curſibus rapidis ſemper rotatur. Circulariter. *Scal.* Ex. LXI. I. ab Oriente in Occidentem. *Cæl.* I. XI. Mundus movetur

φορὰν ἐγκύκλιον ab ortu ad occaſum. *Geminus* de appar. 10. atque à motu omnium conſervatio & tranſmutatio. *Licet.* 11. de Vita, 37. *Hofm.* de Generat. 1. neque ſtellæ modo ſed & ipſum Cœlum cum ſtellis movetur. In Peruvia apparent juxta ſtellas maculæ quædam: hæ ſimul cum ſtellis moventur, *Acoſta* l. 2.

Cœlum eſt quintum elementum, *Apul.* de mundo, *Titelm.* VII. Phyſ. 9. *Noll.* II. Phyſ. Herm. 2. *Lactant.* V. 11. Cœlum eſt elementum mundi alterationis expers. *Scal.* Ex. LXXV. 9. portio tamen ejus, radii, alterantur & tranſmutantur, *Noll.* II. Phyſ. Herm. 2. *Riolan.* II. Phyſ. princip. 3, 4. & novæ ſtellæ interdum generantur ut An. 1572, 1601, 1604. *Aſlach.* Phyſ. Chriſt.

A cœlo omnia inferiora efficiuntur, *Palingen.* VII. & 10. *(ret æther.*
*Quo ſine nec tellus quicquam nec gigne-*
Cœli ſunt omnia poteſtate, *Scal.* Ex. VI. 2. Cœruleus color nullus eſt ſed nubium, Ex. XII. 3. *Cæl.* I. 20. Non dantur orbes cœleſtes, *Sennert.* II. Phyſ. 2. docendi tantum gratia ab Aſtronomis introducti ſunt *Keckerm.* Syſt. Aſtronom. l. 1. II. Phyſ. 5. Unde non diu quærendum de ſuavi illo orbium cœleſtium ſonô Pythagorico apud *Ciceron.* in Somnio & quem ſe audiviſſe jactabat *Apollon.* Ganæus.

*Claud.*

*Claud.* IV. Conſ. Honorii,

*—— rediit meliore magiſtro*
*Machina concentuſque poli.*

Mart. *Capella* I. de Nupt. Philoſ. Superi globi orbeſque ſeptemplices ſuavis cujuſdam melodiæ harmonicis tinnitibus concinebant, vide & *Plin.* II. 3. *Plut.* de Muſica. *Quintil.* I. 16. II. 10. *Macrob.* II. in Somn. *Boëth.* I. de Muſica 2. *Ambroſ.* 2. Hexam. 2. *Apul.* de dogm. Plat. Negant *Ariſtot.* II. de Cœlo 9. *Valleſ.* Sacræ Philoſ. 56. *Palingen.* XI. Hyperius II. Meth. Theolog.

*An ſint plures Cæli?* Cœli dicere in plurali vix auſim niſi poëtica licentia. Hinc *Cicero:* Ille bato te putabat quæſiturum unum cœlum eſſet an innumerabilia. *Voſſ.* I. Anal. 41. *Valentiniani* ſeptem. *Irenæus* l. I. *Baſilidiani* CCCLXV. ſecundum numerum literarum nomine ΑΒΡΑΞΑΣ. *Irenæn.* l. I.

De Cœlo Empyreo curioſé Scholaſtici. *Albertus* M. in II. Sent. diſt. 3. art. 3. & ſeqq. *Keck.* II. Phyſ. 5. *Titelm.* VII. Phyſ. 13. *Nollius* II. Phyſ. Herm. 2. qui id in ſuperficie citima aqueum, in extima igneum eſſe vult. Cœlum empyreum quale fingitur immobile ſedes beatarum mentium non datur. *Licetus* II. de Vita 37. ſed intelligitur metaphorice ipſa beatitudo.

De materia Cœli an *eadem cum inferioribus*, G. *Biel* in 11. Sent. diſt. 12. q. 2. *Keck.* 11. Phyſ. 1. *Valleſ.* Phil. Sacr 1. & 51. *Titelm.* VII. Phyſ. 13. *Bodin.* Meth. Hiſt. 8. *Dan.* 1. Phyſ. Chriſt. 22. *Aſlach.* 1. Phyſ. Chriſt. 5. *Anaxagoras* dixit Cœlum ex lapidibus eſſe compoſitum quod lapis Cœlo deciderit. *Euſeb.* Chron. *Sennert.* 2. Phyſ. 2. *Laërt.* 11. *Empedocles*: ex Cryſtallo. *Laërt.* VIII.

Cœleſtia eſſe animata. *Ozigenos* apud Cœl. 1. 18. & 11. Negat *Keck.* 11. Phyſ. 1. *Sennert.* 11. Phyſ. 2. *Nieremberg.* 11. Hiſt. Nat. 4.

Cœlum eſt *ſolidum* unde ςερέωμα, firmamentum, Homero χάλκεον, σιδήρεον, Jobo *Speculum* vocatur Cap. 38. *Euſeb.* XI. πϱοπ. 4. *Druſ.* ad Geneſ. Cap. 5. *Palingen.* XI.

—— *eſt duriſſimus æther*
*Plus adamante adeo ut ferrum contemnat & ignem.*

*Nieremberg* 1. Hiſt. Nat. 15. Iſta controverſia cœlum durum ſit an liquidum, æterna erit: nemo cœlum proxime vidit, nemo videbit, nemo poterit vicino adſpectu rem definire.

De *Intelligentiis* cœlorum motricibus multa Perpatetici. Angelos intelligit *Kec-*

*Keckerm.* II. Phyſ. 3. *Licetus* II. de Vita 30. & ſeqq. qui unicuique orbi appropriatam intelligentiam attribuit Cap. 34. III. 30, 31, 33, 42, 45. Aon. *Palear* I. de Immort. *Chryſoſtomus* Homil. VI. & XIII. & XII. ad populum, *Procop.* in Geneſin rident opinionem de motu Cœli & Stellas tantum moveri volunt. *Auguſtin.* in Pſalm. 135. dubitat. Sixt. *Senenſ.* v. Biblioth. Annot. 3.
*Ovid.* II.

*Adde quod aſſidua rapitur vertigine cœlum*
*Sideraque alta trahit celerique volumine torquet.*
*Arbiter, an geminæ convertant æthera mentes.*

De Deo Peripateticorum cœli rotatore *Taurell.* II. Anti-Cæſ quæſt. I. Sect 12. *Palingon.* XI.

*Zoroaſter* Jeſſenii: Cœlum nec ſui nec aliorum cauſa mobile fruſtra circumgyrari creditur.

Cœlum & Stellas per radios in inferiora operari. *Scal.* Ex. VI. 5. *Cæſius* I. de mineral. 5. quæſt. I, 2, 3, 4. *Noll.* II. Phyſ. I. & VI. I. *Valleſ.* Sacr. Philoſ. 31. non operari. *Geminus* cap. 14. de apparentiis: minime in animos hominum & Reſpublicas ut Aſtrologi volunt. *Keck.*

Diſput. xxxv. *Sennert.* 11. Phyſ. 2. *Hyper.* 11. Meth. Theol. p. 351. *Paracelſus* naturalem ſcientiam & ſapientiam homini ab aſtris dari vult. Præfat. in Philoſoph. Sag. & lib. 1. cap. 1.

Et Cœlum preces noſtras exaudire Platonici putabant. *Cæl.* 1. A. L. 18.

Extra Cœlum *lux* immenſa ſedeſque quietæ.

*Quas neque concutiunt venti nec nubila nimbris*
*Aſpergunt neq; nix acri concreta pruina*
*Cana cadens violat ſemperque innubilis æther*
*Integit & largè diffuſo lumine ridet.*

*Lucret.* III. & *Palingenius* XII. *Plin.* II. 10. Supra Lunam pura omnia & diuturnæ lucis plena. *Claudianus* II. de Raptu,

*Cuncta tuis pariter cedent animalia terris*
*Lunari ſubjecta globo qui ſeptimus auras*
*Ambit & æternis mortalia ſeparat aſtris.*

*Zoroaſter* Jeſſenii p. 28, 30. Empyreus mundus ſupra ætherios poſitus illos complectitur Dei beatarumq; mentium hoſpitium. Et infinitus, ad extra ad infinitatem expanditur, ad infra vero quia æthera tangit finitur.

*Paracelſus* in Philoſ. Sagaci. Refert effe-

effectus ſupernaturales, ut diluvium Noæ, Solem immobilem, deflagrationem Sodomæ, Stellam Magorum ad cœlum internum, quod agere dicit ad externum.

## Cap. XV.

### *De temperie regionum.*

EVidens & manifeſta eſt diſtinctio temperamenti inter frigidam & temperatam Zonam, ut quamprimum ex una in alteram deveneris, ingens diſcrimen ſentias quod experimento cognovit. *Linſchotius* in ſecunda navigationis ad diem 15 Octobris. Zona torrida multo temperatior quam Zona frigida. *Idem* ad 12. Octobr. In India à *Cambaia* ad *C. Comoryn* hyems incipit à fine Aprilis & durat ad Septembrem. Vocatur hyems non propter frigus ſed tempeſtates. Nam hyems calidiſſima eſt ita ut tum ſingos matureſcant. Incipit à vento Occidentali ex mari cum tonitru & fulgure: huic continuæ dies noctesque pluviæ; terminatur rurſus tonitru & fulgure. Littora & portus ingentibus arenis obſtruuntur & mare tempeſtuoſiſſimum eſt.

Flumina ad mare ſalſa continuis pluviis

dulceſcunt & colorem rubrum contrahunt. Sed in altero latere *Choromandel*, etſi tantum 70. alicubi 20. milliaria diſtant, contra ſe res habet. Ibi eſt æſtas cum in Cuncam ſive India hyems & hyems cum ibi æſtas etiamſi ſub eadem latitudine ſint. Quin in montibus *Balageatæ* unum latus montium æſtatem altera hyemen habet. Eadem ratio obtinet ad Ormuz & in Arabia felice ad caput de *Roſalgate* ubi ad unum latus promontorii æſtas, ad alterum hyems & ſic in aliis Indiæ locis. Æſtas incipit à Septembre & durat ad finem Aprilis: æſtas frigidior hyeme & nullæ in ea fruges matureſcunt niſi qui per totum annum naſcuntur. In æſtate Cœlum ſerenum & ſiccum eſt: nunquam vel raro pluit & tum arenæ ad littora hyeme ejectæ plane iterum abripiuntur ac flumina ſalſa fiunt. A media nocte ad meridiem venti Orientales ſperant dicti terrenihos non unquam ultra decem à littore milliaria ſe extendunt ita ut noctes & antemeridies frigidiuſculæ ſint à meridie ad mediam noctem ſpirant Occidentalis ex mari verſus terram dicti Luſitanis *Dirahon*. Hæc *Linſchotius* Cap. 34. Indiæ.

In *Lima* ficus eſt cujus dimidia pars verſus Auſtrum eo tempore viret quo

æſtas eſt altera arida manet. *Acoſta* 4. 32.

In montibus Peruviæ *Pariacacca* aër eſt ſubtiliſſimus & penetrantiſſimus, viatorum vitalia intolerabili anguſtia & dolore torquens, non tamen letaliter niſi raro, herbas etiam exurens. In aliis verſus *Chilen* montibus ſimilis penetrantiſſimus aër ſed ſine dolore & letalis. *Acoſta* 3. 9. Hiſt. Peruv. 32.

Ad *Guineam* in mari frequentes tempeſtates, pluviæ, tonitrua: aquæ dulces intolerabiliter fœtent: cis æquatorem rurſum dulceſcunt & purgantur. *Linſch.* 3. Indiæ.

In planis *Peru* non pluit ſed tantum *garva*, ſive nebula cadit unde agri fœcundantur & gramina ac flores etiam in mediis arenis naſcuntur. *Acoſta* 3. 20.

Tempeſtates ab hominibus impiis in mare dejectis excitari vulgo putant. Ita Hiſpani tempeſtatem illam atrociſſimam anni 1591. ad Tenerifam adſcribant Rich. *Greenis* II. Anglo in pugna occiſo & in mare abjecto qui recta ad infernum deſcendens omnes dæmonas in ſui ultionem excitarit. *Linſchot.* Cap. 99. Indiæ Orient.

Indiæ Septentrionalis temperamentum ſaluberrimum. Meridionalis ſive

Malabar inſalubre peregrinis, *Linſchot.* cap. 10, 12.

Trans fluvium *Senegam* in Africa homines proceri, nigri, regio fertilis: Cis flumen homines parvi, ſub cineritii, regio ſterilis. Lud. *Cadamuſtus* in Navigat. Cap. 14. In mediterraneis Senega non pluit, niſi ferè ferventem aquam, cap. 39.

Iterum eſt in *Gronlandia* ſub 80. gradu herbas, gramina & animalia herbivora eſſe: at in Nova *Zemla* quæ quatuor gradibus Auſtralior neque herbas neque herbivora ſed tantum carnivora reperiri urſos, vulpes. Navig. *Bat.* in Novam Zemlam.

Portugalli in India nati ſunt aut *Meſtiços* qui patre Luſitano, matre Inda, aut *Caſtiços*, qui utroque parente Luſitano nati & hi colore Luſitanis ſimiles paulum tamen ad flavedinem vergentibus. Liberi ex *Meſticis* ſunt ſimiles Indis. Tertia generatione Luſitani plane in Indos degenerant, *Linſchot.* cap. 29. Maxime à fœminis inexhauſtæ libidinis conſumuntur & plerique inflatos ventres habent, unde *Barrigois*, id eſt, ventres appellantur, *Linſchot.* cap. 34.

## CAP. XVI.

## *De Fluminibus.*

MIra fontium oleo ſtillantium, vino exundantium, pannos comburentium extinctas faces accendentium, recenſet *Bartaſ.* part. I. Hebd. lib. 3. & part. II. 3. & *Edoardus* du Munin *Bereſithiados* die III. Præcipua flumina *Cicero* II. de N. D. Commemorat: *Ægyptum Nilus irrigat, Meſopotomiam fertilem efficit Euphrates; Indus vero non aqua ſolum agros lætificat & mitigat ſed etiam conſerit; magnam enim vim ſeminum dicitur ſecum portare.* Minutius Octavio: *Ægypti ſiccitatem temperat* Nilus, *colit Euphrates Meſopotomiam, Indus & ſerere Orientem didicit & rigare.* De Nilo obſcura olim quæſtio *unde oriatur?* Antiqui anxie ſed fruſtra quæſiverunt. Vide *Herodotum, Diodorum, Strabonem, Heliodorum, Plinium, Senecam, Melam* l. 9, *Lucan.* x. *Tib.* I. 7.

*Alexander, Soſoſtris, Cambyſes*, etiam inquiſitores miſerunt ſed nullo ſucceſſu. Donec tandem *Luſitani* fontes ejus in Æthiopia ſive Abyſſina detexerunt. *Barros* Dec. I. 10.

Statis quoque temporibus Nilus exundat. *Artapanus* apud *Euſeb.* IX. πϱοπ 4. cauſam ita refert: *Nilum baculo à Moſe percuſſum adeo abundaſſe ut univerſa Ægyptus ſubmerſionem metueret: ſingulis exinde annis ſimiliter exundare.*

Achoreus apud *Lucanum* x. fatetur ſe ignorare cauſam:

> —— *quis cauſas reddere poſſit?*
> *Sic juſſit natura parens diſcurrere Nilum,*
> *Sic opus eſt mundo.*

Nives tamen liqueſcentes in montibus Æthiopiæ & continuæ per æſtatem pluviæ cauſam dare videntur; quique ſimili ratione exundat fluvius *Paraguay*, ſive Rio de la Plata præcipitantibus ſe ex Peruanis montibus pluviis: unde incolæ tribus menſibus in ſcaphis, ſive Canois habitant. *Acoſta* II. 4.

Ex mari fontes dulcis aquæ originem capere communis opinio, *Valleſ.* Phil. 5. 63. *Palingen.* XI. *Sennert.* IV. Phyſ. 10. percorantur & ſalſedinem deponunt in arenis & montibus: atque ideo montes creati ſunt. *Simler.* de Alpibus. *Hirtius* IV. de Bello Alex. Omnia littora naturaliter aquæ dulcis venas habent. Henningi *Schennemanni* in Hydromantia Paracelſica, Cap. 6. ubi negat fontes ex mari originem trahere, ineptæ rationes ſunt. Mirum

Mirum cur æſtate aqua in puteis frigidior & apud Hammonis fanum fons lucé. frigidus noctu calidus ſit. *Lucret.* vi.

## Cap. XVII.

## De Lumine.

Lux primæva non fuit qualitas in aquę corpore diaphano hærens ut vult *Keckerm.* Diſp. xx. Probl. 6. Sed ſubſtantia longe nobiliſſima à qua omnia inferiora vivificantur. *Sennert.* ii. Phyſ. 2. vide Alb. *Magn.* in ii. Sent. d. 13. art. 2. *Pareum* in 1. Geneſ. An autem *lumen ſit ſubſtantia vel accidens* adeo difficile dictu ut *Sennertus* l. c. conqueratur de obſcuritate naturæ & tandem concludat eſſe accidens intentionale non reale. De quo etiam *Biel* in ii. Sent. diſt. 13. q. 1. *Licetus* iii. de Vita 16. Quomodo autem à lumine Solis fiat calor diſſentiunt *Taurellus* & *Licetus*. Ille negat aërem à lumine atteri poſſe: p. 163. contra Cæſalp. ſive in Alpibus nondum Cœlis ut *Hofman.* 4. de Gen. hom. 4. loquitur & ſtupendum vocat errorem ſi quis putet radios Solis per ſe nequaquam eſſe calidos ſed ſolo rei ſolidæ contactu calorem excitare, Negat igitur radios Solis reflecti ſed

ſed calorem circa terram accumulari, p. 170. *Licetus* III. de Vita, 34. probat Cœlum calorem gignere lumine ad nos effuſo quod lumen aërem atterere valeat & in minima dividere. Vulgo dicunt lumen majus extinguere minus. *Sanctorius* II. Method. vit. Err. 5. non extingui ſed obſcurari & ſenſibus noſtris occultari. Ita etiam *Scaliger* Ex. LXII. I. quod tamen coarguit *Licetus* III. de Vita 35. *extinguitur nobis, ſi non abſolute.* Quare non abs re lux imbecillis ſi ob viciniam potentioris viſum non excitet dicitur extingui non ſecus ac rivuli aqua in mare delapſa dicitur aboleri.

## CAP. XVIII.

## *De Eclipſi.*

*ECLipſis* res in tota contemplatione naturæ maxime mira & oſtento ſimilis, *Plin.* II. 10. *Nicias* Athenienſis ob ignoratam Eclipſin patriæ cauſa ruinæ fuit, *Plin.* II. 12. *Plut.* Nicæa & de ſuperſtitione, *Thucydid.* VII. *Quintil.* I. 17. Ita milites *Agathoclis* in Africa terrebantur quod Sol defeciſſet, *Juſtin.* XXII. & XXXIII. Lunæ defectus triſte Perſæo oſtentum erat. Apud Romanos Eclipſin primus

primus docuit *Sulpitius* Gallus: *Val.*Max. viii. ii. *Quintil.* i. 17. *Frontini* i. 12. Apud Grȩcos *Thales* Mileſius. *Plin.* ii. 12. De cauſa quod Stoici Epicurei ſenſerint, *Laërtius* vii. ix. x. *Lucret.* v. Ægyptii recte: Lunam deficere cum in terræ umbram incidiſſet, *Laërt.* i. *Claudianus* de Bello Getico:

*— vetito fraudatum Sole laborem*
*Telluris ſubeunte globo.*

Dubitatur an aliqua *Eclipſen ſit utilitas*; de quo *Taurellus* iv. q. 6. p.728. Univerſalis Eclipſis fuit in paſſione Chriſti. *Euſeb.* Chron. ex Phlegonte. *Titelmannus* vii. Phyſ. 37, 38, 39. Dionyſius *Areopagitico* dicitur illam Heliopoli in Ægypto vidiſſe, Epiſt. ad Polycarpum ſed hoc fictum & falſum putat. *Beza* ad Marc. xv. 33. Anno 1133. tamen fuit Eclipſis Solis ut dies in noctem verteretur. Anno 1140. tamen ut homines antiquum Chaos timerent. Obſidente Henrico VII. Brixiam in Galliis ſimul Lunæ & Solis Eclipſis fuit. *Petrarcha* iv. memorabilium 9. Fruſtra dicunt Solem nunquam amittere lumen ſuum ideoq; non Eclipſis Solis ſed averſionem luminis Solaris à terra aut oculis noſtris dicendum. *Becm.* Orig. LL. Recte enim *Tibullus* ii. el. 5. *Ipſum etiam Solem defectum lumine vidit.*

Cap.

## CAP. XIX.

## De Sole.

EUdoxus Deos rogaſſe dicitur ut ſibi facultatem darent Solem proxime cernendi ejuſque formam, magnitudinem, pulchritudinem proxime contemplandi: tunc ut illico moreretur.

Solus laudes recenſent, *Plin.* II.6.II. *Cœlius* XIII. 14.

Anima mundi ſeu natura proximè in Sole habitat ut quę globum Solis totum implens radios ſuos & quaſi Spiritum effundit per omnia, vitam ſenſum & motum ipſi univerſo. Diſtribuens cuncta permeancentia. *Crollius* Baſil. Chim. p. 208. lux compactiſſima, ignis ardentiſſimus. *Zoroaſter* Jeſſenii p. 50. *Anaxagoras* dicebat Solem *candens ferrum eſſe ac penitus* ignitum. Peloponneſo majus vel *lapidem* rubeum quod ad opus Chimicum refert. *Majerus* Septim. Philoſoph. ænigm. 29. ideo accuſatus & damnatus, *Laërt.* II. Stoici; ſolem eſſe puriſſimum ignem. *Laërt.* VII. *Heraclitus* Solis flammam lucidiſſimam & calidiſſimam, *Laërt.* IX. Solem non eſſe ignem contra Anaxagoram probat *Euſeb.* XIV. πϱοπ.4. hoc

hoc etiam argumento quod Sol atros faciat non ignis. Epicurei putabant congregatis ignium ſeminibus Soles alios atque alios ſemper ſplendere, *Minutius* Octavio. *Parmenides:* Solem calidum & frigidum eſſe, *Laërt.* IX. *Pythagoræ:* Solem Lunam & Stellam Deos eſſe: quippe iis ſuperare calorem qui vitæ author ſit, *Laërt*. VIII. Deliberarunt aliquando Stoici utrum Soli quoque populos darent, *Lactant.* III. 23. Sol quomodo calefacit? *Leucippus:* Sidera omnia motu rapidiſſimo igneſcere: Solem inflammari à ſideribus Lunam parum ignis uſurpare, *Laërt.* II. Motu Sol caleſcit exemplo plumbeæ ſagittæ liqueſcentis, *Ariſtot.* II. de Cœlo, 7. *Virgil.* IX. *Lucret.* VI. *Lucan.* VII. quomodo autem motus calefaciat quæſtio difficillima eſt *Taurellus* contra Cæſalp. p. 649. Si Sol quieſceret magis calefaceret. *Scal.* Ex. LXXIV. 2. quod & *Taurellus* probat contra Ariſtotelem p. 420, 559, 580 negat *Keckerm.* Diſput. III. Motum calefactionis ridet, *Valla* I. Dial. XI. dicitque motum refrigerationis potius cauſam eſſe. Cauſa caloris lux Solis & radii ejus quod ex ſpeculis Archimedis & Procli probat *Jonſtonus* Nat. Conſt. prop. 2. Solaris calor nihil aliud eſt quum calor ignis Solis fulgore modificatus.

tus. *Valleſ.* Phil. Sacra, cap. 1. quod ex parte Lucretius vult. v. Solem aliquando quieſcere poſſet concedit *Ariſtot.* VII. Metaph. text. 55. Si Sol ſtare voluiſſet perpetuus ubique dies eſſet, *Lactant.* 11. 5. Arabia adeo edita eſt ut ex ſummo vertice à quarta vigilia Solis ortum oſtendat, *Mela* l. 10. In monte Ida Sol Oriens aliter oſtenditur quam alibi, *Idem* l. 18.

*An Sol ſcintillet?* L. *Valla* 1. Dial. 8. In Sole ineſt ſive proprietas ſive qualitas dicendus vibratus, potentia & ut ſic dicam vita ipſa Solis. Ineſt lux quæ vibratu gignitur & quaſi paritur: ineſt ardor qui illinc emanat & ſpirat. *Keckerm.* Diſp. 111. Sed ob lucis copiam ſcintillare videtur circa ortum imprimis & occaſum quia tunc longius à nobis remotus oculis quaſi tremulis afficitur tum quod eo tempore aër ſcateat exhalationibus. Quam ſubſultationem vulgus in veſpera Paſchatis attentius obſervare ſolet, ducta erroris occaſione ex quodam vetere hymno quo omnes res dicuntur ob Chriſti reſurrectionem exultare & Sol ipſe ſubſilere. *Claudianus* 1. de laud. Stiliconis,

*Tunc & Solis equos tunc exultaſſe choreis*
*Aſtra ferunt.*

Cur Stellæ fixæ *micent*, vagæ non idem *Ari-*

*Ariſtot.* II. de Cœlo, 8. Magnitudinem Solis Lunari orbi comparatam ſeptingenties & vicies eum ſuperare *Thales* dixit. *Laërt.* I. *Anaximander* terram æquare. *Laërt.* II. *Anaxagoras:* Peloponneſo majorem. *Archelaus*; maximum ſiderum. *Empedocles* Luna majorem. *Stoici* terra majorem. *Epicurus* Solis & ſiderum eam magnitudinem quam videmus. *Laërt.* II. VII. VIII. X. quod poſtremum etiam *Lucret.* V. probat. *Ariſtol.* de Inſomn. I. Sol nobis *ποδιαῖος εἶναι δοκεῖ.*

Immenſum eſſe conſtat, *Plin.* II. II.

Propriorem terris ejus apſida quam Ptolemæi ætate 126. millibus ſexcentis ſexaginta milliaribus Germanicis, *Copernicus, Reinoldus, Statius* probant. *Bodin.* Meth. Hiſt. 8. & *Theatri* Nat. XX. Quod *Melanchthon* ad cœleſtium terreſtriumque corporum tabeſcentiam refert; *Scaliger* autem ridet Ex. XCIX.

*An Sol omnes res generet?* Pythagorici penetrare à Sole radium profunda & omnia vivificare, *Laërt.* VIII. *Paracelſus* IV. Phil. ſagac. Solem omnia corpora per lucere & penetrare, neq; ad centrum mundi, per lapides, aquam, terram. *Taurellus* p. 186. contra Cæſalp. negat; quia noctu

noctu Sole abſente & in media terra multa generentur quouſque Sol non pertingat.

Sol majorem terreſtris globi partem illuminat quam mediam. *Petrus* de Medina 8. Art. Nant. 3.

Cur ab *Oriente* verſus *Occidentem* navigantes unius *diei jacturam* patiantur? In *Macao* & *Manella* integræ diei intervallum eſt. Cum in *Macao* eſt dies Solis, in *Manilla* eſt dies Saturni. Ratio: quia Sol verſus Orientem citius, verſus Occidentem tardius ſurgit, *Acoſta* 3. 23. Ideo navigantes ab Occidente in Orientem circa totum globum terræ unius diei jacturam patiuntur, quia ipſis Sol quotidie tardius oritur adeoque dies ipſis plerumque paulo majores ſunt 24. horis. *Spilberg.* & *Le Maire* Navigat. Anno 1616, 1617, 1618. Journael vande Naſſauſche Vloot/ Pag. 95. Hiſt. *Ind.* General. lib. 3. cap. 98.

Odii inter *Luſitanos* & *Caſtilianos* argumentum eſt quod *Joh.* II. Rex Luſit. moleſtiſſime ferebat Solem prius Caſtiliam quam Portugalliam attingere: neque rem hanc mutari poſſe.

CAP.

## CAP. XX.

# De Luna.

ENcomia Lunæ *Apuleius* XI. Mileſ. recenſet. *Iſid.* Peluſ. 2. Epiſt. 33. Καλὴ ἡ Σαλήνη ἀλλὰ κρείττον ὁ ἥλιος. Ejus virtutes antiqui Chaldęorum Theologi ad Hecatem retulerunt. *Selden.* de DIs Syris cap. 2. Lunæ naturam primus *Endymion* deprehendit & hinc amore ejus capta dicitur, *Plin.* 11. 9.

*Habetne proprium lumen?* Stoici carere proprio lumine & id à Sole mutuari. *Laërt.* VII. *Apuleius* X. florid. *Solis luminis Luna decipula.* Idem de Deo Socratis, *Sive Luna proprio ſeu perpeti candore ut Chaldæi arbitrantur parte luminis compos, parte altera caſſa fulgoris, circumverſione oris diſcoloris multi vaga pollens ſpeciem variat, ſeu tota proprii candoris expers, alienæ lucis indiga. denſo corpore ſeu levi, ceu quodam ſpeculo radios Solis obſtiti vel adverſi uſurpat & ut verbis Lucretii utar:*

*— notham jactat de corpore lucem*

*Utraque harum vera ſententia eſt.* Ita *Heraclitus*:

Lunam menſtruas figuras facere, cum in

in ea ſenſim ſcapha vertitur. *Anaximander* Lunam falſo lucere, lumine ſplendorem à Solo mutuari, *Laërt.* II.

*Empedocles:* Lunam diſci habere figuram, *Laërt.* VIII. Epicuri opinionem apud eundem, vide lib v. Lumen in Luna nec creſcit nec decreſcit ſed tantum per globum obambulat, Nic. *Mulér.* II. Inſt. Aſtronom. I.

*An Luna lumen ſuum à Sole mutuaretur* quidam dubitarunt. *Auguſt.* Epiſt. C IX. ad Januaris cap. 4.

Maculæ revera non exiſtunt in Luna ſed ſunt repercuſſio partium orbis terræ; ita ut in Europa Europæ, in Africa Africæ idea videatur, Mich. *Majer.* ſept. Philoſ. ænig. 37. Adr. *Metius* I. Sphæræ I. Sæpe ex fratre meo intellexi ipſum tubo ſuo in corpore Lunæ conſpexiſſe montes ex oppoſito Solis umbram de ſe ſpargentes; item valles & inſtar jugerum armarium planities. Unde in memoriam revocanda *Plutarchi* de corpore Lunæ ſententia in quam concedebat *Mæſtlinus* & *Kepplerus*, Lunæ tale eſſe corpus quale hæc noſtra terra, ex aqua & continentibus unum globum efficiens, inæquale montoſum & majores quidem montes in proportione ad ſuum *globum, quam ſunt terreni in ſua proportione.*

Zo-

Zoroaſter *Jeſſenii* p. 52, 53. Lunam dicit alteram terram eſſe, partes lucidas aquam, obſcuras terram: ibi planities, montes, convalles, homines, animalia, plantas, pulchriora omnia & vivaciora noſtris. Ratio: ut fruſtra tam pulchra corpora facta ſint.

Effecta Lunæ refert *Gell.* xx. 7. *Horat.* II. Serm. 4.

*Lubrica naſcentes implent conchylia Lunæ.*

Contrarium tamen obtinet in India Orientali. Plures Lunæ, *Plinius* II. 32.

Quid vero videtur de illo populo quem ſua memoria fuiſſe ſcribit Ludov. *Vives* in Auguſtinus de Civit. Dei.

Qui Lunam ab aſino epotam credebat, cum is de fluvio biberet qui Lunæ ſpeciem reddebat illaq; obtectu nubis ſubito ſe condidiſſet, aſinus in carcerem conjectus & poſt legitimam quæſtionem ſectus eſt ut Lunam mundo redderet. In novo orbe credunt Lunam à Dracone devorari: ideo ingens volutatus & ſtrepitus, ut Draconem fugent: quorſum & antiquorum pelves ac tintinnabula.

CAP.

## CAP. XXI.

## *De Stellis.*

PRimi *Chaldæi* in patentibus campis ſtellas obſervarunt *Gell.* XIV. I. *Eudoxus* in cacumine excelſiſſimi montis conſenuit ut aſtrorum cœlique motus deprehenderet. *Petron.* Satyr. vide & *Gell.* XVII. 21. De ſtellis conjectantur pauca quædam nullo ſcientiarum fundo concepta ſed fuſa & vaga & arbitraria qualis longinqua oculorum acies eſt per intervalla media caligantium, *Phavorinus* apud *Gell.* XIV. I.

Ægyptii nugatorie ſtellas quater vertiſſe curſus ſuos ac Solem bis jam decidiſſe unde nunc oritur, *Mela* lib. 9. Numerus ſtellarum præter eas quæ videntur, ingens. Cabaliſtę *Myriades* XXXIX. & CLX. tradunt. *Seld.* Synt. II. de DIS Syris, c. 2. Mortali ſtellarum numerus omnino ignotus eſt, *Euſeb.* VII. πϱοπ. 5. Aliquoties novæ deprehenduntur ut ex Arabibus probat, *Keckerm.* VI. Phyſ. 5. contra Tychonem qui præter illam Hipparchi apud Plinium II. 26. nullæ agnoſcit. Illa quæ anno 1573. in Caſſiopœa viſa, ſtella ab initio creata, ſed tenuis & obſcu-

obſcura fuit: cum appareret lux ejus aucta & ſplendor crevit. Fr. *Valleſ.* Sacr. Philoſ. 1. *Keck.* l. c. Stellæ non ſunt denſior pars ſui orbis, *Paling.* XI. Quis enim niſi furioſus auſit dicere ſidera eſſe denſiorem cœli vel ætheris partem, quaſi corpus cœleſte poſſit eſſe denſius & compactius, L. *Valla* 1. Dial. XI. Sunt tamen cœligenæ. *Apul.* de Mundo, & ex luce primæva facta. *Senn.* II. Phyſ. 2. In *Phædone* Platonis opinio eſt non eſſe quæ videamus ſiderum corpora ſed radiorum quaſdam reflexiones in aëre, ſimilem ſideri ſpeciem referentes, *Cæl.* l. 14. An *ſtellæ ſua luceant lumine an à Sole illuſtrentur?* Authores utriuſque ſententiæ refert. *Cæl* 1. 14. *Licetus* II. de Vita, 38. negat ſtellas lumen à Sole mutuari vel augeri quæ ſunt ſupra Solem, ſed illas tantum quæ ſunt infra Solem præſertim Lunam. *Zoroaſter* Jeſſenii p. 51. vult ſidera omnia vires ſuas & ſemina in Solem & Lunam effundere ad rerum generationem. Dicere auſim lumen Solis ab aſtris ſuperioribus haud minus adjumenti accipere quam Luna, Mercurius, Venus à lumine Solis. Idem prolixius III. 35. *Sennertus* utrumque admitti poſſe putat, II. Phyſ. 2.

*Leucippi* opinio fuit ſidera omnia igne-

ſcere ob concitatiſſimi motus celeritatem: à ſideribus Solem quoque flammam concipere Lunam vero tantum ignis participare. *Heſychius* in Vitis.

*Lux* ſubſtantia eſt. *Lucret.* IV. non eſt ſubſtantia, *Valleſ.* Phil. ſacr. 53. forma lucis eſt inter deſiderata, *Verulam.* IV. Augm. Scient. 3. Et quoddam adhuc ſuperius lumen hoc noſtro, corporale illud etiam, in ſede beatorum, quo Solis facultas, non pertingit & hoc tanto præſtantius quanto ſupremi illius Cœli corpus aëris noſtri corpore. *Valleſ.* Phil. ſacr. 53. Sphæræ non decem ſed octo tantum dantur, *Licet.* II. de Vita, 38.

*Planetas* non rectè erroneas & vagas dicimus. Deus enim omnes curſus eorum ita conſtituit ut ne modico quidem errori locus ſit, *Apul.* I. de dogm. Plat. Septem ſidera quæ ab inceſſu vocamus errantia cum errent nulla minus illis, *Plin.* II. 6. *Cœl.* I. 17. Sol & Luna non ſunt in numero Planetarum: ergo quinque tantum. *Zoroaſter* Jeſſen. p. 46.

De numero Planetarum, *Gell.* XIV. I. *Galilæus* novos invenit Planetas. *Senn.* II. Phyſ. 2. Vita *Peireſcii*.

Duplicem Planetarum motum dari ait *Ariſtot.* II. de Cœlo 10. *Geminus* de appar. c. 10. *Plin.* II. 8. *Licet.* II. de Vita 37.

Negat

Negat *Taur.* Anti-Cæſ. 525. *Sennert.* 2. Phyſ. 2. Pridie quam periit *Julianus* quidam Antiochiæ vidit congeriem ſtellarum literas in hanc ſententiam exprimentium: *Hodie Julianus in Perſia occiditur.* Notato tempore cognitum eadem die fuiſſe interemtum. *Zonaras* Tom. III.

Quidam ſentiunt ſtellæ voluntate eſſe maleficas & Deum in extremo judicio ſtellas puniturum præcipuè Martem quod bella moviſſet. An ſint *ſidereis affixa cavernis ſidera? Lucret.* IV. Hos aſtrorum ignes ſphæris affixos perpetuis atque indefeſſis curſibus labi, *Apul.* l. de dogm. Plat.

An *Cæleſtia* nutriantur? *Cæl.* l. 12. & XII. 2.

*Achoreus* Ægyptius apud Lucanum x.

*— Oceano paſci Phœbumque ſolumq;*
*Credimus —*

Quæ opinio propria Stoicorum *Laërt.* VII. unde *Virgilius.*

*— Convexa palus dum ſidera paſcit.*

Ita enim cum Servio legendum cenſet *Brodæus* Miſc. 77.

*Lucret.* 1. *Unde æther ſidera paſcit.* & lib. V. Ideo putabant mundum conflagraturum cum Cœlum non amplius haberet aquas quibus paſceretur. *Magius* 1. de Exuſt. Mundi 13, 16, 17. *Nollius* Phyſ. Herm. 2.

putat ſicut ex aſtro radii defluunt in inferiora: ita ex inferioribus aſcendere vapores quibus cœleſtia nutriantur & inſtaurentur. *Quintil.* Declam. IV. Summo vertice beatus ignis ut vigor cuncta levia calidi ſpiritus ardore ſuſpenderet: profundus humor ad ima demerſus unde quotidie ſuperpoſiti caloris alimenta traherentur.

De lapſu ſtellarum. *Virgil.* I. Georg.

*Sæpe etiam ſtellas vento impellente videbis*
*Præcipites Cœlo labi.* Ovid. II. *Met.* 50.
*Fertur ut interdum de Cœlo ſtella ſerenò*
*Quæ ſi non cecidit potuit cecidiſſe videri.*
*Lucret.* II. *Non cadere in terras ſtellas & ſidera cernis.*

*Plin.* II. 8. *Cæl.* VI. 27. *Brodæus* I. Miſc. 30. *Keck.* VI. Phyſ. 3. Ejiciunt ſtellæ excrementa quædam ſulfurea. *Majer.* ſept. Philoſ. p. 58. *Theophraſtus* T. VIII. l. 2. Phil. ſagaci. qui etiam vult eſſe ſtellas quaſdam magneticas in Cœlis quæ ferrum attrahant quod tum, ubi magni ponderis eſt, decidat.

Via lactea eſt Meteoron. *Ariſt.* I. Meteor. 8. eſt in octava ſphæra minutiſſimarum ſtellarum congregatio, *Sennert.* II. Phyſ. 2. reſiduum primævæ lucis unde novæ ſtellæ & Cometæ naſcuntur. *Aſlac.* Phyſ.

Phyſ. Chriſt. p. 173. *Anaxagoras* dixit lacteum orbem eſſe reflexum Solaris luminis non intermicantibus aſtris, *Laërt.* II.

Fuerunt qui aſtra habitari putarent, *Heraclides*. Hominem ex Luna cecidiſſe dixit, *Laërt.* VIII.

*Palingen.* VII.

—*ſuos aër cœlumque ac ſidera cives*
*Indigenaſque tenent.*

*Anaxagoras* dixit Lunam habitacula in ſe habere & valles & colles, *Laërt.* II. Unumquodque aſtrum plurium ſpirituum habitaculum divinitus factum eſt, *Noll.* III. Phyſ. 3.

Sed tandem Orationem de Cœlo in terram revocemus. *Apul.* de Deo Socrat.

Aſtra *animata* eſſe & *rationalia* Platonicum eſt. *Plato* Timæo. *Cic.* II. de Nat. D. *Apul.* l. de Philoſ. aſtrorum ignis animales Deos dicit eſſe *Plato*. l. de Deo Socratis: viſibiles. *Origenes* idem l. περὶ ἀρχῶν. 7. Auguſtinus initio dubius ad *Laurent.* cap. 58. poſtea retractavit & libro contra *Priſcill* 8. negavit aſtra eſſe animata.

# GEORGI HORNI HISTORIÆ NATURALIS.

## LIBER SECUNDUS.

### CAPUT PRIMUM. DE MARI.

AD Inſulas de *Lebos* & *Cocos* Mare tam profundum & littera tam abrupta ut 70. vel 80. filiis fundus reperiri non poſſit: ibidem etiam rupes tantæ profunditatis ſunt. *Acoſta* 3. 27 *Plin. 6. 22. Solin.* 54. ad littora Norwegiæ alicubi imperſcrutabile, *Olaus* M. 2. Hiſt. Sept. 10.

Quidam Mare del Zurd & Nord apud Panamam foſſa conjungere voluerunt ſed

ſed omiſſum ob certas cauſas, *Acoſta* 3. 10.

Mare *monſtrum* eſt. Virgil. v. *Mens huic non confidere monſtro.* ſicut ipſos maris monſtra notantia *Horatius* 1. Carm. 3. & θαύματα πόντου Aratus, Oceani monſtra *Juvenalis* dixit. Mare ſive aquas innataſſe ſuperficiei terræ, ideo mare in loco ſuo naturali non eſſe. *Munſter.* 1. Coſm. 1. Unde & altius pariter ac depreſſius, depreſſa Excelſius mare rubrum quam terra Ægypti, *Ariſt.* 1. meteorol. 14. alicubi immenſæ profunditatis. *Munſt.* 1. Coſ. 1. Ordinaria profunditas duorum milliarium. *Keck.* de Nautica Probl. 1. Quomodo fiat, ut mare non excreſcat *Ariſtot.* 11. meteorol. 2. *Lucret.* v. *Seneca* de Providentia: *Infuſa vallibus maria molliunt terras nec ullum incrementum fluminum ſentiunt.* Tempeſtates & navium ac urbium demerſiones à Dæmonibus aëreis. *Cicogna* parte 1. Th. N. 111. 7.

De fluxu & refluxu, *Lucanus* 1.

*—— cum funditur ingens*
*Oceanus vel cum refugis de fluctibus aufert*
*Ventus ab extremo pelagus ſic axe volutet,*
*Deſtituatque furens an ſidere mota ſecundo*

*Thetyos unda vagæ lunaribus æſtuet horis*
*Flammiger an Titan ut alentes hauriat undas*
*Erigat Oceanum fluctuſq; ad ſidera tollat*
*Quærite quos agitat mundi labor: at mihi ſemper*
*Tu quæcunque moves tam crebros cauſa meatus*
*Ut ſuperi voluere, latet.*

*Cæſar* IV. Comment. Eadem nocte accidit ut eſſet Luna plena quæ maritimos æſtus maximos in iſto Oceano efficere conſuevit, noſtriſque id erat incognitum. *Apul.* l. de mundo: Sentitur etiam Cœli mariſque cognatio cum menſtruis curſibus Lunæ decrementa acceſſus fretorum atque æſtuum deprehenduntur. *Taurellus* III. 4, 5. p. 553. 556. Anti-Cæſalp. Mare in intima terræ ſe exonerans facit ut magno impetu ex littoribus circumquaque aquæ verſus voraginem illam contendant. Ariſtot. erroris incuſat Fr. *Valleſ.* S. Phil. 53. *Ariſtot.* de mirabil. Fretum inter Siciliam & Italiam una cum Luna intumeſcit & ſubſidet. *Seneca* l. de Prov. I. ad Lunaris ſideris arbitrium Oceanus exundat. *Lemn.* II. 41. IV. I. *Mela* III. I. *Zoroaſter* Jeſſenii p. 43. Terra motu ſuo aquam ſecum vehit, nec alias æſtus, fluxus & refluxus marini unquam

quam futuri. *Caſmannus* parte II. Probl. marin. quæſt.9. Cauſa propriiſſima æſtus eſt ſalſedo maris, quia calorem in ſe habet, hic ſpiritus, ſpiritus motum. Cur æſtus in mari Liguſtico & Baltico non fiat? *Keckerm.* Probl. Naut. parte ſpecial, Probl. III.

Mare *Caſpium* dulcius cæteris, *Curt.* VI. 4. ob multos influentes amnes. *Plin.* VI. 17. *Solin.* 30. *Seneca* Medea:

*Paluſtribus qua maria dulceſcunt aquis.*

Dicuntur dulcia quia minus ſalſa. *Salluſt.* in fragm. Ipſum Mare Ponticum dulcius quam cætera. Nulla enim aqua marina abſolute dulcis, *Druſ.* in Geneſ. cap. 76. Mare etiam in fluvidô ſalſum. *Patricius* contra Scalig. & illa ſalſedo cum ipſo mari creata. *Gomeſ.* de Sale 24. *Taurell.* III. quæſt. 8. p. 606. 607. *Palingen.* XI. *Zoroaſter* Jeſſenii p. 69. *Cæl.* XIV. 15. *Valentiniani* à lacrymis *Enthymeſeos* quos ridet *Irenæus* l. I. *Ariſtot.* calorem Solis quem refutat *Cicogna* part. I. Th. N. I. 6. Idem *Sanctorius* VII. vit. Err. 2. Propter ſalſedinem cui pinguedo admixta, marinæ aquæ alunt non extinguunt incendia. *Camerar.* Cent. I. 26. Cent. II. 27. *Lang.* Epiſt. Medic. 28. Inſigniter purificat & ſanat. Euripides: θάλασσα κλύζει πάντα

πάντα τῶν ἀνθρώπων κακά. Ajunt Euripidem maris aqua à morbo curatum. *Cæl.* v I.44. Eademque ſalſedo tot immanium, monſtrorum parens. Sal enim fœcundat. Mures tinctu Salis concipiunt, *Plin.* x. 65. Venus mari orta, *Plut Olymp.* v. ideo Piſcis ſive Dagonis ſpecie culta, *Seld.* Synt. II. cap. 3, 4. Cur autem in mari mortuo quod ſummè ſalſum nihil generatur? Ob bitumen quod putredini reluctatur: ſine putredine autem nihil generatur. *Sanctorius* IV. Vit. Err. II.

Maria in terras terræ in maria tranſeunt.

*Ovid.* XV. Met. vidi.

*Ergo quod fuerat quondam ſolidiſſima tellus*
*Eſſe fretum, vidi factas ex æquore conchas*
*Et procul à pelago conchæ jacuere marinæ*
*Et vetus inventa eſt in montibus ancora ſummis*
*Quodque fuit campus, vallem decurſus aquarum*
*Fecit & eluvie mons eſt deductus in æquor.*

Anno 1460. inventa cum ancoris navis in Alpibus, *Jonſt.* N. C. p. 27. *Anaxagoras* interrogatus: an montes Lampſacenos ali-

aliquando mare ſit obtectum: imo inquit ſi tempus non defecerit.

Mare *rubrum* non aquas rubras habet ſed alicubi arenam & ligna rubra, *Ghiſtell.* 4. Itin. 3 *Linſchot.* c. 4. Ind. *Plinii.*

Rubri maris nec aqua nec arenæ rubræ. *Curt.* VIII. 9. X. I. *Brodæus* III. Miſcell. 9. Fallitur *Hieronymus* qui סוף rubrum ſignificare putat. *Druſ.* ad Exodus 26.

Mare Septentrionale non eſt incongelabile: Cimmerium enim & Scythicum gelu conſtringitur, *Gell.* XVII. 8.

## Cap. II.

## *De Meteoris Igneis.*

Omnia meteora, præter *Iridem* & *Cometam*, ſunt à Diabolo. *Luther.* in Geneſin. *Paracelſ.* IV. Phil. Sagac. 8. *Palingen.* VIII. IX. XI *Zoroaſter* Jeſſeniis p. 83. *Keckerm.* VI. Phyſ. I.

Cometæ terrificum magna ex parte ſidus *Plin.* l. 25. ſecundum *Damaſcenum* II. Orthod. fid. 7. comportantur à ſpiritibus fatorum præſciis quo futura ſignificentur. Quod etiam Paracelſo placet. *Claud.* I. de Raptu.

*— augurium qualis laturus in orbem*

*Præceps ſanguineo delabitur igne Cometes*
*Prodigiale rubens. Non illum navita tuto*
*Non impune vident populi ſed crine minaci*
*Nunciat aut ratibus ventos aut urbibus hoſtes.*

De Bello Getico:

*Nunquam Cœlo ſpectatum impune Cometen.*

*Quintil.* I. Declam. periturorum fata populorum ardentes Cœlo faces & crinita ſiderum flamma præcucurrit. *Lucan.* I.

*— terris mutantem regna Cometem.*

Poteſt tamen Cometa etiam bonos effectus producere naturaliter, *Keckerm.* VI. Phyſ. 5. *Plin.* II. 25. Cometam qui in ludis Auguſti apparuit mundo ſalutarem fuiſſe, *Sen.* VII. Nat. quæſt. 17. Et hunc voluit fuiſſe ſtellam Magorum. Ingens ille fuit qui nato Mithridate apparuit. *Juſtin.* XXXVII. Stella Cometes ſeptuaginta diebus ita luxit ut Cœlum omne conflagrare videretur. Nam & magnitudine ſui quartam Cœli partem occupaverat & fulgore Solis nitorem vicerat & cum orireretur occumberetque quatuor horarum ſpatium conſumebat. An autem cauſis naturalibus de novo gene-

generentur, an à Deo miraculoſe producantur, an quia ante latuerint appareant non facile quis firmè rationibus definiet, *Sennert.* II. Phyſ. 2. Generantur etiam in ipſo æthere. *Lipſ.* I. de Conſt. 16. *Sennert.* II. Phyſ. 2. *Majer.* ſeptim. Philoſ. p. 60. *Scholtz* Epiſt. Medic. 28. Negat *Keckerm.* VI. Phyſ. 5. Non eſſe animalia probat *Nierenberg.* II. Hiſt. Nat. 15.

Cætera meteora ita refert *Lucret.* 5.

*Noctivagæque faces Cæli flammæq; volantes*
*Nubila vel imbres, nix, venti, fulmine, grando*
*Et rapidi fremitus & murmura magna minarum.*

De columna ignea & ſtella Magorum diſputat. *Keckerm.* VI. Phyſ. 5. *Scultet.* Delic. Euangel. cap. 20. miraculoſam ſtellam fuiſſe patet quia miro modo curſum tenuit domum & σταϐάσμιον φάτνην velut digito oſtendit. *Iſid.* Peluſ. I. Epiſt. 377. fuit *Angelus* Chryſoſt. & Theophylactus, *Simon* Pauli in Euangel. Epiphan. ignes in armis militum, veſtibus aut capillis frequentes. *Plin.* II. 37. *Liv.* I. & XXXV. *Valer.* Max. I. 6. *Card.* IV. Var. 66. *Virg.* II. & VII. Æn. *Oppius* V. de Bello Africano.

De

De Turneb. XII. Æn.

*—— totoque ardentis ab ore*
*Scintillæ abſiſtunt, oculis micat acribus ignis.*

Et V. *Namque volans liquidis in nubibus arſit arundo.*
*Signavitque viam flammis tenueſque receſſit*
*Conſumta in ventos.*

Ad terram quoque labuntur ignes, *Plin.* II. 26.

De ignibus fatuis *Camer.* Cent. III. 16. *Euphormio* I. Satyr. vult eſſe ſpectra & infelices ſpiritus, quod etiam placet *Cicognæ* parte I. Th. N. VIII. 5.

Prius tonare oportet quam coruſcare, *Apul.* de Mundo.

Tonitru eſſe effectum *Cacodæmonis*, etſi fulgur habeat cauſam naturalem, vult *Helmont* l. Meteoron. Animalium, num. 20. *Bodin.* Theatr Nat. lib. II. Negat *Keckerm.* l. de Fulm. pr. I. *Paracelſus* Tomo VIII. *Cicogna* part. I. lib. 3. c. 6. idque rogatu Sagarum, quod negat *Keckerm.* *Petrarch.* II. de Rem. Dial. 90. licet naturalibus cauſis tonet nihilominus commonitorium eſt illius qui nullis adſtrictus cauſis ipſe fons eſt cauſarum.

Laurum ac ficum fulmine percuti probat, *Brodæus* III. Miſcell. 2. *Sennert.* IV. Phyſ. 2. Ful-

Fulmine plerumque percutiuntur canes atque feles ut tutum non ſit eas apud ſe habere, *Keckerm.* de Fulm. Problem. 9.

Tonitrua etiam hyberna & ſereno die, Cœlo ſine nubibus fiunt. Idem & vi. Phyſ. 6. *Sennert.* iv. Phyſ. 2.

*Anaxagoras* dixit tonitrua nubium eſſe colliſionem, corruſcationes confricationem, *Laërt.* ii. Idem *Stoici* lib. vii. *Lucret.* ii.

Lapides Ceraunii multi in Muſeo *Calceolario*, *ſect.* iii. p. 307. Non enim ſemper cum fulmine decidunt ſed rariſſime, *Keckerm.* vi. Phyſ. 5. 6. *Sennertus* iii. Phyſ. 2. à fulmine arenam fundi & lapidem fieri.

Fulmen plerumque loca excelſa & edita petit.

—*feriuntq; ſummos fulmina montes*.

Etiam templa ſacra, ob peccata hominum, *Iſid.* Peluſ. i. Epiſt. 73. Cadavera fulmine tacta aliis abominanda. *Quintil.* Decl. xix. Horreo cadaver & velut corpora quæ cœleſtis exanimavit ignis adire propius timeo. Campanarum pulſatus fulmina non abigit. *Hippius* Probl.

Jovi aſſignarunt fulmen, *Plin.* ii. 19. *Lucret.* vi. quod æmulari voluit Salmoneus, *Virgil.* vi.

In

In *Mexico* Pyramis ignea Oriens media nocte, & adſcendens; ſub ortum Solis in meridie conſiſtens & evaneſcens iſque per totum annum conſpectus: ibidem Cometa triceps, *Acoſta* 7. 23.

## CAP. III.

## *De Meteoris Aqueis.*

METeora aquea *Dæmonibus* aëreis aſſignant, *Strozz* Cicogna part. 1. Th. N. 13. c. 6 *Noll.* Phyſ. Herm. 111. 4. Nubes variarum figurarum ſunt, *Lucret.* IV Nivem eſſe ſpumam & ſordes aquæ, *Gell.* XIX. 5.

Pluvias oriri à vaporibus ex medio mari ebullientibus, non calore ſublatis, *Taurell.* III. quæſt. 7. p. 581. Anti-Cæſ. à Sole vapores ex mari & locis aquoſis elevante: Unde ſub torrida Zona Sole accedente tanta copia pluviarum & in regionibus extra Tropicos Sole longiſſimè remoto, *Acoſta* II. 7. Imbres unde *Lucret.* VI. Pluviæ prodigioſæ lactis, ſanguinis, carnis, lapidum ranarum, vitulorum, *Liv.* XXXVII. XXXIV. XVII. *Plin.* II. 16. *Titelmann.* VI. Phyſ. 6.

Milone cauſam dicente lateribus coctis pluit.

Maſſa

Maſſa ferri pondere centum librarum ex aëre cecidit, *Alb.* III. Hiſt. ex Avicenna. *Cæſius* v. de Mineralib. cap. I. quæſt. 5. noſtra ætate in Hiſpania in Valentiæ regno decidit è nubibus maſſa lapidea metallicè venis infecta. Hæc vi ventorum contingunt. *Lucan.* IX. ſcribit tantam Auſtri vim in Lybia fuiſſe ut Catonis militibus pila, galeas, ſcuta erepta ſolum abſtulerit, & addit,

*— in extrema forſan longeq; remota*
*Prodigium tellure fuit delapſaque cœlo*
*Arma timent gentes hominumque erepta lacertis*
*A ſuperis demiſſa putant.*

Huc referri poteſt nummus qui cum grandine decidit Anno 1622. in præfectura Magdeburgenſi Wanslebiana, quem *Ernſtius* II. Obſerv. 20. inter prodigia refert. Cauſæ vel ſupernaturales Majer. ſept. Philoſ. p. 50. vel Dæmonicæ. Cicogna vel naturales ut de ferro.

*Ægyptus* dicitur pluvia carere, *Lactant.* II. 14.

*Nullis in Ægypto nubibus ſubtexitur Cœlum,*
*Nec pluvio ſupplicat herba Jovi.*

Joh. *Wild* III. Itiner. 33. teſtatur ſe aliquoties *Alcahiræ* magnos imbres Januario & Februario vidiſſe: cæteris menſibus non

non pluere. *Alexandriæ* & *Reſchitæ* interdum decem continuis diebus pluere propter viciniam maris.

*Mel* eſſe ex aëre probat, *Virgil.* I v. Geogr.

—— *aërii mellis cæleſtia dona.*

*Plin.* II. 12. Circa Libanum fuit δ'ροσόμελι quod *Manna* vocatur, quo veſcebatur *Ioh. Baptiſta. Scult.* Delic. Euangel. cap. 9. Manna Hebræorum in deſerto idem cum vulgari fuit, *Valleſ.* ſacr. Phil. 57. *Huart.* Scrut. Ingen. cap. 15. non fuit nec cauſas naturales habuit, *Sennert.* IV. Phyſ. 8. *Keck.* I v. Phyſ. 20.

*Iridis* tractatio partim *Phyſica* eſt partim *Optica.* Nam quod ſit eſt Phyſici ſcire, cur ſit optici. I. part. *Anal.* 10. quomodo fiat ſecundum Stoïcos, *Laërt.* VII. *Epicureos* VI. *Nat.* Comes VIII. Mythol. 20. fuit ante diluvium ſed non ut ſignum, velut ſi cogites lapidem immobilem diu & neglectum, mox factum dictione alicujus ſignum *Cæl.* XII. 24. *Valleſ.* ſacr. Philoſ. 9. Veri ſunt Iridis colores, *Cæl.* XII. 30. an odor ex iride accedat ſolo vel arboribus, idem Cap. 31. Iris Lunaris inſignis viſa Anno 1599. *Sennert.* IV. Phyſ. 9. *Cæl.* XII. 27.

Artificioſæ oſtentantur in arce Florentina

rentina Pratelino, *Itineraria*. Nix in Armenia rubra ob terræ miniatas exhalationes, *Heinſ.* Cap. 6. ad Nonnum. In *Iſlandia* præ nimia vetuſtate nigra & arida, ut incenſa ardeat. *Adamus* Bremenſis l. de Situ Daniæ. *Paracelſus* de Thermis omnem aquam vult continere partes frigidas & calidas & fieri glaciem cum calidis ac frigidis ſuperantur.

Pagus *Meme* inter Damaſcum & Aleppo per totum annum nivem tributi loco ad refrigerandum potum advehebat, quam in vallo profunda compingebant, *Ghieſtella* 6. Itin. 10.

## CAP. IV.

## *De Ventis.*

VEntorum magna varietas à quatuor cauſis oritur natura loci quem perflant, plaga Cœli unde ſpirant, Deo qui ita ordinavit, Pſ. 134. *Ier.* 10.

Exhalationum diverſitate, *Acoſta* 1 1 i. 2. Virg. 1. Æn.

*—— Venti velut agmine facto*
*Qua data porta ruunt & terras turbine perflant.*

Oriri eos in antris & ſpecubus ſubterraneis idem vult:

*– Vaſto*

*—— Vaſto Rex Æolus antro*
*Luctantes ventos tempeſtateſque ſonaras*
*Imperio premit.*

In *Hiſpania* Solano ſive ventus Orientalis plerumque moleſtus & inſalubris: in *Murcia* ſaluberrimus: *Cartagenæ* denuo inſalubris. Abrego ſive Auſtralis iiſdem in locis pluvioſus & gravis: in *Murcea* ſalubris. In *Africa* Boreas pluvius: notus clarus & ſerenus, *Plin.* 11. 47. ita etiam in campeſtribus Peru, notus eſt frigidus ſalubris & ſerenus: in montanis pluvius ut & in Chili. Sub Zona torrida ventus Orientalis (*Briſas* vocant) ſaluberrimus eſt: Zephyrus vix unquam ſpirat, *Acoſta* 111. 3.

Diſputatur *an Boreas trans æquatorem fiat calidus & pluvius; Auſter ſerenus & frigidus?* Ariſtoteli ita viſum 11. *Meteor.* 5. Contrarium *Acoſtæ* 111. 3. probatur qui Boream etiam trans æquatorem manere frigidum dicit etſi non tam vehementer. Omne malum & Diabolus imprimis ab Hebræis Aquilone ſeu Septentrione deſignatur. Unde βορεασμοὶ ſunt ſacra quibus lævum ejus avertebant numen. Huic βοῤῥᾶς Helleniſtis Satan. *Homil.* Ariſtar. Ex. 1.

De Origine ventorum varia varii, *Anaxa-*

*Anaxagoras:* ventos fieri cum aër à Sole attenuatur, *Laërt.* II. alii ex fuga vacui & nimia corporum plenitudine, *Majer.* ſept. Philoſ. alii ex motu terræ aërem intra montis Cacumina comprehenſum circumvolvente & auram concitante, *Zoroaſter* Jeſſenii, p 43. Ventos ſtatos & anniverſarios gigni à calore magno nives in locis Septentrionalibus adhuc reliquas colliquante, *Sennert.* IV. Phyſ. 3. ſæpe Dæmon ventos turbat, *Job.* I. Finni & Lappones ventos vendunt, *Olaus* III. 6. Ericus *Sueciæ* Rex quocunque verteret pileum, inde proſperum ventum eliciebat, Strozz. *Cicogna* p. I. Th. N. III. 6. Preſteres in mari quomodo fiant exponit, *Lucret.* VI. ventorum finalis ratio quæ ſit, *Cæl.* XI. 18. Ventum partim ab ab aëre commoto partim ab exhalationibus admixtis, *Sennert.* IV. Phyſ. 3. *Keckerm* Probl. Naut. *Quercet.* Polyhiſt. ſect. II. c. 3. *Apulejus* de Mundo. Paracelſus Tomo VIII. errare dicit qui ventum putent aërem commotum.

In *Tercera* & *Aſoribus* & aliis Indiæ locis venti tam acres & penetrantes ſunt ut ferrum & lapides conſumant & in pulverem redigant: ideo Luſitani lapides ad ſtructuram ex marinis undis petunt quos venti illi non admodum lædunt.

dunt, *Linſchot.* Ind. Orient. cap. 99. *Acoſta* 3. 9.

Venti vel *extra* vel *intra* tropicos ſpirant. *Extra* tropicos vocantur *Vandavalæ* & ſunt varii ac mutabiles. Quo longius à Tropicis receditur eo Vendavalæ ſunt certiores, velut intra gr. 27. & 37. *Intra* tropicos in mari aperto ſemper ſunt venti Orientales & *B.iſæ*, adeoque ſtabiles: raræ tempeſtates: *Verraſons* & *Terrenitros* tantum ad littora ſpirant duo milliaria non amplius.

De his Indię ventis, vide *Acoſtam* lib. 3. & *Linſchotium* in India paſſim.

De nubecula ingentium tempeſtatum præſaga quæ *Olcho* de Boio vocatur, id eſt oculus bovis, *Linſchot.* c. 93. Itiner. & *Navigat.* c. 36.

## CAP. V.

## *De Terræmotu.*

UNiverſalem terræmotum obſervat *Hieronymus* in Chronico ad A.C. 368. Terræmotu per totum orbem facto mare littus egreditur. Talis etiam fuit tempore *Paſſionis Chriſti* quippe quem in Bithynia obſervatum *Phlegon* & *Euſebius* ſcribunt. Exempla particularium terræ-

terræmotuum innumera extant apud alios.

De cauſa dubitatur. Eſſe immediatum opus Dei vult *Helmont* l. Terræ Anomalum, num. 29. ſeqq. Alii adſcribunt Dæmonibus ſubterraneis, *Cicogna* p. 1. Th. l. III. II. aquis ſubterraneis terras exedentibus. *Paracelſus* Tomo VIII. *Taurell.* III. 9. 8. p. 606. *Palingen.* XI. *Gellius* II. 28. Ventis. Salluſt. fragm. *Ventis per cava terræ citatis rupti aliquot montes tumulique ſedere.* Anaxagoras terræmotus cauſam eſſe ſucceſſionem aëris in terram, *Laërt.* II. Epicuri ſententiam vide apud eundem x. *Lucret.* VI. De tota materia *Keckerm.* Tomo II. *Apul.* l. de Mundo. Terribilis eſt hæc calamitas. *Petrarcha* II. de Rem. Fort. 91. & quanquam Ægyptum ac Galliam hujus mali expertem putarit, *Plin.* II. 80. deceptus forte loco, *Ariſtot.* III. Eth. Nicom. 10. id tamen falſum deprehenſum. *Senec.* VI. Nat. Quæſt. 26.

Terræmotu abſorpta Helice & Burris, *Ovid.* XV. Met. *Senec.* VI Nat. 23, 26, 32. Sub Tiberio una nocte XII. Aſiæ Civitates, *Plin.* II. 84. In Creta mons ruptus, *Plin.* VII. 16. Uno Terræmotu centum Lybiæ urbes corruunt Auguſtini Tempore ut teſtatur II. de *Miraculis* 55. vide

vide & *Ariſtot.* VIII. Meteorol. 8. *Livium* 44, 45. *Juſtin.* XXX. XL. *Palmerium* in Chronico ad A. C. 1171. 1241. 1457.

In Anglia mons ambulavit, *Cambd.*

Terræmotus plerumque fiunt ad littora: quo plures in loco aliquo putei eo minus Terræmotui obnoxius, *Acoſta* 3. 26.

Terræmotus in America atrociſſimus, *Acoſta* 3. 26.

## CAP. VI.

## *De Montibus.*

TAbor Mons altiſſimus fuit, vide *Caſaubon.* Ex. XV. Sect. 18.

*Teneriſa.* In ejus cacumine aër ſuaviſſimus, nullæ pluviæ, nec herbæ, pulvis immobilis. Cum quis per horam aſcendit frigus offendit tota die ac nocte inſolitum. Tertia die ad montis faſtigium pervenitur. Ibi arena, veſtigia Camelorum ante annum impreſſa, tanquam recentia & nomina quorundam humi inſcripta velut heſterno digito. Summa altitudo eſt milliarum Italicorum quindecim, *Helmont.* lib. Gas aquæ num. 20.

Montes ardentes unde tamdiu ardent? Incertum eſt an ſint ſpiramenta inferni, *Acoſta*

*Acoſta* 3. 25, 26. aliqui aurum liquefactum & fundo eorum petere conati, *Acoſta* 3. 24. Hiſt. General. Indiæ, l. 5. cap. 203.

## Cap. VII.

## *De Succis.*

*Electrum* ex ſucco populi arboris gigni Poëtæ *Æſchylus, Nicander, Euripides,* Ovid. 11. Met. Fab. 111. *Claud.* 111. Cenſ. Honor. tradunt, ſed hoc fabuloſum. *Plin* xxxvii. 2. *Lucianus* alii metalli genus peculiare eſſe. *Tertull.* l. adi. Hermog. 25. & adi. Praxeam c. 27. *Plin.* xxxiii. 4. *Servius* ad viii. Æn. Tria ſunt electri genera, unum in arboribus quod *Succinum* dicitur, aliud quod naturaliter invenitur, tertium quod fit ex tribus partibus auri & una argenti. Succinum copioſe gignitur in mari Gothico. *Olaus* m. xii. 8. in littore Britannico *Hector* Boëtius. eſtque terræ ſudor bituminoſus. Muſ. *Calceol.* Sect. 11. p. 181. de Electri inventione, *Polyd.* Virgil. 11. de Invent. 22. Corallium molle ſub undis, in aëre indureſcit. *Ovid.* iv. & xv. Met. Fab. 39. & Muſæum *Calceol.* Sect. 1. pag. 4. Ejus Hiſtoriam

 ſcripſit

ſcripſit Ioh. Ludov. *Ganſius* Medicus Francof. 1630.

De *Sale* Bernardinus *Gomeſius*. Sole & Sale nihil utilius lib. I. c. 5. Sal auro & gemmis præferendus. II. 3.

Solum à Sale fit ſterile propter nimiam acrimoniam, II. 5. *Virgil.* II. Geogr.

*Salſa autem tellus & quæ perhibetur amara*
*Frugibus infelix.*

Hinc urbes Sale conſperſæ, *Druſ.* ad Iud. IX. 45.

Res quæ multum ſalis habent facilius eo exuuntur ſi certam ſalis menſuram iis injiciamus: hinc piſces ſalſi aqua marina citius quam dulci ſalſuginem exuunt. *Huart.* Serut. ingen. cap. 22. ubi & miracula Eliſæi aquas amaras Sale emendant ad naturam revocat. Numidæ olim Salem non curabant. *Salluſt.* Jugurth. Numidæ plerumque lacte & ferina carne veſcebantur & neque Salem neque alia gulæ irritamenta quærebant. *Diabolus* à Sale maximè abhorrere dicitur.

Statua *Salis* uxoris Lot diu duravit *Tertullian.* Carmine de Sodoma, *Brocardus*, *Bredenbachius*, *Targum* Hieroſol. dicit perduraturum ad reſurrectionem uſque fuiſſe ex Sale metallico quod pluviis non liqueſcat, *Cæſius* III. de Mineral. I.

*Ambra*

*Ambra an à balænis?* Neg. Ed. *Lopez* Deſcr Congo l. 1. c. 14. quia in Mari Congenſi innumeræ balænæ & nulla tamen ambra.

## CAP. VIII.

## *De Magnete.*

DE *Magnete* præclara habet *Lucret.* v 1. Cur ferrum trahat ingens difficultas. Vide *Portam, Kircherum, Brodæum* 111. Miſc. 29. *Ficinum* 111. de vita Cœl. comparanda 15. *Sennert.* v. Phyſ. 4. Thales & Cardanus animatum putant: illum *Ariſtot.* l. de Anima 7. hunc *Scal.* Ex. c. 11. oppugnat. Recentiſſima opinio eſt *Carteſii* Princ. Geleſ. pr. 259. & ſeqq.

Magneti debetur navigatio Oceani & detectio Indiarum, *Acoſta* l. 16. 17. Veteres enim caruerunt pixide nautica. Idem & *Bodin.* Meth. Hiſtor. cap. 7. quam tamen veteribus notam fuiſſe vult *Lemnius* 111. Occult. Nat. 4. *Turnebus* xx. 4. Inventor ejus *Flavius* Meſphitanus. *Pancirollus.* Vaſco *Gama* circa Moſambiquam Mahummedanos reperit qui pixide nautica uſi ſed à quo eam acceperint non conſtat. *Oſorius* de rebus Emman. 1. *Acoſta* l. 17.

Ioh. de *Rupeſcilla* l. de Quinta Eſſentia 4. meminit acus nauticæ & Magnetis tanquam rei ſuô tempore jam notæ & ubique receptæ.

Quatuor in toto orbe tantum loca ſunt ubi acus directe Septentrionalem monſtrat unus apud Inſulam *del Cuervo* quæ eſt inter Flandricas, *Acoſta* l. 17.

*Taurellus* p. 1043. contra Cæſalpin. negat Magnetam oſtendere Polum ſed lineam Meridionalem. Ferrum affrictum Magnetis lateri quod in fodina ſua Auſtrum verſus ſitum fuerit directe Auſtrum monſtrat & itidem declinationi obnoxium eſt, quod maxime mirum, *Acoſta* l. 17.

Virtus Magnetis varie impeditur: oleo laterino immerſus, *Theoph.* 1. Philoſ. Sagacis 6. allio affrictus, *Plutarch.* & *Ptolomæus*: quod tamen negant *Porta* & *Kircherus*. adamanti junctus, *Solin.* 61. Etiam ſagarum incantationibus. Propert. IV. el. 5.

*Illa velit, poterit magnes non ducere ferrum.*

De Inſula Magnetis ſub Polo Arctico, *Munſt.* IV. Coſmg. 92.

Urnam *Mahommedis* ex ferro vi Magnetis in ſublimi ſuſpenſam Anno 1480. fulmine conflagraſſe, *Ghieſtel.* 1. Itin. 4. & l. 5. 18.

CAP.

## Cap. IX.

# De gemmis & lapidibus.

Laſcivientis naturæ miraculum *gemmæ* ſunt.

*Dadianus* Colchorum Princeps Solei manno munus attulit tantæ claritatis ex gemma carbunculo cavatam patinam, ut ad ejus lumen ducenti homines noctu non minus quam meridie iter facere poſſent. *Buſbeq.* Epiſt. Turc. III. Stupendam rem narrat *Piccartus* Orat. IV. ex Ruæo fuiſſe cuidam, gemmam Turcoidem quæ cum Dominus mortuus eſſet velut lugens obſcura apparebat rimamque per medium ducebat. Hanc cum alius emiſſet coiit ſtatim rima & priſtinus rediit nitor.

De *Adamantibus* Dominæ Heverenſis alibi dictum. Adamentem ferro nec igni cedere fabuloſum eſt cum facile comminuatur. Muſ. *Calceol.* Sect. III. pag. 204. Ferro & igni etiam modice cedit nec non hircinô ſanguine molleſcit. *Porta* de Magnete, cap. 54. Neque etiam inter venena numerari poteſt, *Sylvat.* Controv. Med. LXXVII. quo inclinat *Sennert.* VI. Pract. Med. parte VI. 47.

Errare eos qui lapillis pretioſis pro medicamentis utantur oſtendit *Sanctorius* XIII. Vit. Err. 4. pollent tamen gemmæ aliqua vi, *Lemn.* II. 30.

Vitrum *Sidonii* invenerunt, & Sareptæ conflarunt, 1 *Reg.* XVII. Indi vitrum omnibus aliis rebus prætulerunt.

Margarita & Margaritum utrumque recte dici probat, *Voſſ.* 1. de Anal. 35.

*Cryſtallum* glaciem congelatam eſſe vult *Ariſtot* apud *Gell.* XIX. 5. *Sen.* III. quæſt. Nat. 25. *Stat.* 1. Sy. 2.

*Raraque longævis nivibus Cryſtalla gelari.*

Ioh. *Simler* in Alpibus. *Martianus* Capella 1. de Nupt. Philoſ. poſterior pars Coronæ Hydatide, adamante, Cryſtallo lapidibus alligabatur. Hos enim hyems undoſa genuerat. *Garcias* ab Horto l. 47. in Sola India Cryſtallus nunquam naſcitur. Sed in frigidiſſimis regionibus. *Theophraſt.* de Lapid.

Plures & contrarias opiniones de Cryſtalli origine, vide apud *Cæſium* IV. de Mineral. 5. Verior *Diodori* Siculi, ſententia lib. III. Cryſtallum ex aqua congelata oriri, non quidem à frigore ſed *divina caloris vi* quæ duritiem ſervet variosque colores ſuſcipiat. *Muſeum* Calceol. Sect. III. p. 193.

Oriri

Oriri ex ſucco aqueo puriſſimo frigore denſato.

Multa fabuloſa de lapidibus narrantur & ſcribuntur. *Sanctor.* VIII. Vitr. Err. cap. XI. Qualis fuit lapis Henr. II. allatus quem *Thuanus* deſcribit XVII. Hiſt. quem putarunt aliqui Magica ſuperſtitione conflatum, Muſ. *Calceol.* Sect. 4. p. 455.

Gagates lapis explorat morbum comitialem. *Apul.* Apol. Bufonites antiquis ignotus vere invenitur in Capite Bufonis, Muſ. *Calceol* p. 363, 364. Idem de *Nephritico* (de quo integrum tractatum ſcripſit Caſp. Bartholinus) Bezoarticis p. 331. 336. de quibus etiam *Langius* II. Ep. 24. Laur. *Catelanus.* Bezoar ad nos delatus nullius virtutis eſt ſed manifeſtiſſima impoſtura, *Sanctor.* XIII. Vit Err. 4. *Aëtitem* & lapidem *Calſuve* deſcripſit Guilh. *Laurenbergius*, Roſtochi 1627. in 12°.

De mirandis lapidum figuris, Muſ. *Calceol.* p. 318. 392. 417. 425. 428. *Licetus* III. de Vita, 7. *Nieremberg.* l. de miraculoſis terræ Ebræorum, Cap. 32, 32, 33, 34.

In Alabaſtro unguentum incorruptum ſervatur ob denſitatem quæ nullum aërem tranſpirare ſinit, Muſ. *Calceol.* Sect. III. p. 390. contra *Cardan* VII. Subtil.

In *Congo* tam grandia Saxa ſunt ut ex uno integrum templum exſcindi poſſit, *Lopez* 2. Congo 1.

Aquæ in Saxa mutantur apud Guancavelicum Peruviæ, *Acoſta* 3. 17.

Criſtalli reperiuntur in Nova Zemla, Same, edit. *Linſchot.* Navigat. 1. ad 3. & 4. Aug. Criſtalli nuſpiam reperiuntur in India & Oriente ſed quid ſimillimum Cryſtallo in Cambayali Pegr. zeilon. *Linſchot.* c. 85.

*Ignis* & *allium* magnetem virtute ſpoliant ſed de allio experimentum refragatur Mich. *Coignot* cap.3. Art. naut. argentum vivum maxime reſiſtit magneti, *Paracelſus*.

## CAP. X.

## *De Metallis.*

METallorum inventio & artificium adſcribitur *Thubalkayno* cujus Metallurgiam ingenioſe deſcribit *Bartas* 11. Hebd. l. 4. ejus poſteri Alybes vel Galybes. *Argonaut.* Argonaut.

Homer.

Τήλοθεν ἐξ Ἀλύβης, ὅθι ἀργύρων ἐςι γενέθλα.

*Catull.*

*Catull.* Epigr. LXVII.

*— Jupiter ut* χαλύϐων *omne genus pereat*
*Et qui principio ſub terra quærere venas*
*Inſtitit ac ferri frangere duritiem.*

Hos in Hiſpaniam veniſſe volunt. *Juſtin.* XLIV.

*Corinthus* nobilis ære. *Ovid.* VI.
*—— nobilis ære Corinthus.*

*Amathus.* Ovid. x. Met.
*-fœcundam Amathunta metallis.*

*Ilva* Virgil. x.
*Inſula inexhauſtis Chalybum generoſa metallis.*

*Theſſali* prima numiſmata ex auro & argento cuderunt, *Luc.* VI.

*Beſſi.* Claud. de Conſ. Mallii:
*Quicquid luce procul venas rimata ſequaces*
*Abdita pallentis fodit ſollertia Beſſi.*

*Indi*, apud quos ferri crepitacula & argenti metalla & auri fluenta. *Apul.* Florid. VI.

Quomodo metalla reperta & quis eorum uſus, *Lucret.* v. Proveniunt plerumque in locis ſterilibus & ſquallentibus. *Philo* 5. de Geneſi. *Euſeb.* 8. πρϱπ. 5. *Acoſta* 4. 3. 5. America metallorum ditiſſima, *Acoſta* 4.

Male Grammatici metallis pluralem negarunt præſertim auro, argento, plumbo; nihil enim plurali magis indiget quam metalla, *Voſſ.* de Anal. 38.

Ad generationem metallorum concurrit calor cœleſtis, *Keckerm* v. Phyſ. 4. contra Bernardum Trieriſanum.

Sulphur & Mercurius ſunt prima materia, *Sennert.* v. Phyſ. 5. & Chymici omnes.

Plura quam ſeptem eſſe metalla neque ea recte Planetis aſſignari. *Brod* VI. Miſcell. 23. Cur veteres metallis Planetarum nomen non impoſuerunt, *Croll.* Baſil Chim. p 205. Metallica Ariſtoteli vix ſatis cognita. *Scholtz.* Epiſt. Medic. 214. Omnia metalla noſtræ naturæ adverſa. *Plat.* quæſt. 90. Cent. poſtl.

*An vivant metalla?* Aff. apud *Scholtz.* Epiſt. Medic. 53. & 222. Cl. *Deodatus* I. Panthe. 2. Negat *Licetus* II. de Vita 5. quia non habent determinatam ſemper figuram ſed eam pro loco ambiente variant & l. III. 7. reſpondet argumentis Cardani. Mirabile eſt quod *Caſius* IV. de Mineral. 1. quæſt. 5. refert Dominam Heverenſem è familia Luxenburgica habere duos *adamantes* qui crebro alios ſibi per omnia ſimiles producant.

*An metalla tranſmutari invicem poſſint?*

Aff.

Aff. in univerſum omnes Chymici, *Sennert.* II. de conſenſu & diſſenſu I. ubi dicit ἀῤῥωςίᾳ διανοίας laborare eos qui negant & ſenſibus contradicunt, & v. Phyſ. 4.

*Libavius* Syntaxis metallicæ lib. II. *Delrio* I. Diſquiſ. Magic. 5. q. I. ſ. 4.

*Rulandus* Progymnaſ. Alitim. quæſt. 67. C. *Martini* c. 8. de Anal. materiæ, *Verul.* III. cap. 5. dubitat. *Riolanus* II. de Abd. cauſis 19. negat, ut & *Scaliger* Ex. CVI.

*Thomas* Cap. de Eſſe & Eſſentia: nihil tam perfectum ſub Cœlo quin poſſit in melius emendari.

Æs temporis longinquitate commutatur in aurum, *Keckerman.* v. Phyſ. 4.

Aurum potabile negant, *Scal.* Ex. CXXXVII. CCLXXII. *Libav.* Epiſt. Chym. 26.

Alii admirandas virtutes adſcribunt *Deod.* Panthe III. 19.

*Dormius* de Medicina & Medicis, *Lemn.* III. 6. *Zacut.* Luſit. II. Obſ. 10.

Aurum & argentum nutrire, *Sennert.* de Conſ. & diſſ. cap. 19. non nutrire, *Platerus* Cent. poſth. quæſt. 91.

De fodinis Peruviæ, *Acoſta* 4. 51. 10, 11.

Cur Sinenſes argentum auro præferunt? quæ argentum ſemper ejuſdem

pretii, aurum variis gradibus differt, *Acoſta* l. 4, 5. *Linſchot.* Ind. 23.

Aurum facillime liqueſcit per ſtipulas, *Plin.* 37. 4. in Peruvia per Icho, *Acoſta* 3. 12.

De Argento vivo & metallicis laboribus, vide *Acoſtam*, 4.

Maximum granum auri puri in Hiſpaniolæ fluviis repertum ſunt mille trecentarum & decem librarum, Anno 1502. quod naufragio periit, Hiſt. *Ind.* lib. 1. 32.

## CAP. XI.

## *De Plantis.*

MUlta fabuloſa Plantis tribuuntur ut quod *Matthiolus* ſcribit herbam *Balim* animantibus vitam reſtituere: *Æthiopidem* clauſis floribus applicatam eas ſtatim aperire, *Sanctorius* VIII. Vit. Error. XI. Scribit *Sozomenus* ad Chriſti in Ægyptum adverſum perſeam arborem proceram ſe inclinaſſe. In Boëmiæ ſylva illa quæ Brandiſio Neoboleſſaviam profecturis proxime occurrit, arbores complures inclinatæ conſpiciuntur; vulgo hoc ingenerata opinio, abietes Divum Wenceſlaum iſtas tranſeuntem hoc reverentiæ ſigno honoraſſe, *Scult.* Delic. Euangel.

gel. cap. 24. Senſum de vitam *Pythagorei*, & *Platonici*, & *Manichæi*, Plantis tribuerunt, alii guſtum & tactum, *Cæl.* l. 10. ut piaculum fore ſit ramum arboris avellere, ne forte inſtar Polydori ingemiſcat, *Verul.* IV. augment. Scient. 3. Spongia ſenſum habere aliquem creditur, *Ariſt.* 1. Hiſt. Animal. 1. Ulmus allocuta Tyanæum, *Euſeb.* in Hieroclem: eadem fide qua apud *Apul.* 6. Mileſ. arundo, turris, flumen loquitur. De foliis ambulantibus, vide *Keckermann.* Diſp. XIII. Probl. 9. Aliqui & ſexum & conjugia Plantis tribuerunt, *Cæl.* XI. 34, 35. *Camerar.* Cent. XI. 34, 35. *Camerar.* Cent. 11. 84. de Palma Brunduſina. *Catull.* Epiſt. 63. de Vita.

*At ſi forte eadem ulmo eſt conjuncta marito.*

*Quintil.* VIII. 2. Sterilem platanum & tonſas myrtos quam maritani ulmum & uberes oleas præoptaverim.

De agno vegetabili Scythiæ peculiari tractatu egit *Libavius*, & *Nieremberg.* III. Hiſt. Nat. 6.

De anatibus Scotiæ ex arbore naſcentibus. Idem *Nieremb.* III. 5. H. *Boëtius*: anſeres illos *Clateis* appellant (alii volunt *Barnikos*) quos vulgo perperam in arboribus naſci in his inſulis credunt. Mari

Mari autem illorum procreandorum vis ineſſe videtur. Etenim ſi lignum in id mare projicias, tractu temporis primo in eo vermes, ex cavato ligno naſcuntur, qui ſenſim enato capite pedibuſque atque alis,plumas poſtremo edunt,demum anſeribus magnitudine æquales cum ad juſtam pervenerunt quantitatem Cœlum petunt avium reliquarum more, remigio alarum per aëra delati. De iiſdem *Munſter*. Coſmogr. 11. 14. *Bartaſ.* VI Hebd.

*Sic & in alegeros carioſæ fragmina navis*
*Mirandum viſum monſtrum, vertuntur anates.*

Sed Batavi Ann. 1596. repererunt ova innumera anatum in rupibus ſub gr 80. unde cognitnm illas quæ vocantur Rotganſen; & vulgo in Scotiæ arboribus naſci credebantur, ex zonâ frigida originem ducere.

*Dictamnum* ſine dolore tela extrahere falſum eſt & multi à Virgilio decepti. Ioh. *Matth* quæſt. Medic. 19.

Plantæ innaſcuntur etiam tergoribus animalium, *Nieremberg* 1.Hiſt.Nat 10.

*Yuca* cruda in *Hiſpaniola* & *Cuba* letalis, in Provincia S. *Marthæ* ſalubris. *Hiſt.* Ind. 2. 71.

In Braſilia ex palmis Sal conficiunt, Ioh. *Stad.* 2. 12.

In

In *India* Orientali Campi *Floribus* prorſus deſtituuntur & merum gramen ferunt hyeme: æſtate combuſta à Sole omnia. Flores alios non habent quam fulles ex arbore quadam: roſas quaſdam & ros marinum ſed exigui odoris, *Linſchot*. c. 54.

Ad Canonos in Malabar ingentes mali Norwegicis pares, *Linſchot*. c. XI.

Sola *Malabar* piper profert quod toti orbi ſufficit, *Linſchot*. cap. XII. Malacca nonnullis locis etiam habet piper, Idem cap. 12.

In tota India non eſt Oleum Olivarum quod à Luſitanis affertur, *Linſchot*. c. 10.

Sola *Cambaya* profert Annil ſeu Indigo, *Linſchot*. c. 9.

Cambayenſes & Indi Septentrionales qui littora habitant *Fuſci* ſunt. De Canenſes & Canaræ qui Mediterranea tenent *Flavi*, Malabares *atri* Capillis rectis, *Linſchot*. c. 10.

Mar de *Sargaſſo* vocatur à radicibus quibuſdam copioſe Mari Atlantico innatantibus, *Linſchot*. c. 95. *Columbus* Navig. c. 7 Hiſt. Ind. general. 1. 16.

Arbores ingentis magnitudinis in America, *Acoſta* 4. 30. *Hiſt*. Ind. 2. 85. 204, 205.

Al-

Alfonſus d'Erzilla in Chile inopia Chartæ laborans partem Araucanæ platani foliis ſiccatis inſcripſit, *Acoſta* 4, 12.

## CAP. XII.

## *De Venenis.*

VEnena initio cnm aliis rebus creata, *Baſil.* Hexaem. *Mercur.* l. de Venenô, 12. in quem finem vide apud *Pareum* in l. Ger. *Matth.* quæſt Medic. 33. *Mercurial.* l. de Ven. 12. Muſæum *Calceolar.* Sect. v. p. 497. *Riol.* de abd. Rerum cauſis 15. Sunt inter remedia morborum & pœnas ſceleratorum, *Philo* apud Euſeb, VIII. πϱοπ. 5.

Venena in corpore humano generari poſſe oſtendit *Scholtz.* Epiſt. Medic. VII. *Valleriola* III. L. C. 18. *Mercur.* l. 7. *Sennert.* VI. Med. Pract. parte II. c. 2. *Zacutus* l. Med. Hiſt. p. 350. negat *Sanctorius* VIII. Meth. vit. error. 14. aliquid ſimile Veneno non verum Venenum. *Mercur.* l. 14.

*An Venena nutrire poſſint?* Aff. *Kecker.* Curſ. Phil. Diſput. XII. Probl. 8. XVI. Probl. 24. *Zacutus* l. Med. Hiſt. p. 182. *Sennert.* VI. Med pract. part. V. I. Exempla recenſet *Cæl.* VI. 35. *Renodæus* I. Phar-

Pharmac. 13. *Marſi* & *Phylli* Venenorum domitores fuerunt, *Gell.* XVI. 11. Anates Ponticæ Venenis victitant & *Mithridates* continuo veneni eſu inviolabilis evaſit. Unde Antidotus quæ Mithridatios vocatur, *Gell.* XVII. 16. Diſtinguendum tamen inter venena quæ plane nihil alimenti habent ut arſenicum & quæ partes aliquas nutrientes obtinent ut araneæ & plantæ: vide VII. Obſ. *Schenckii* 226.

*An quæ Venenò alta ſunt, edenda?* Aff. *Langius* I. Ep. Medic. 69. Negant *Sennert.* VI. Med. Pract. part. VIII. c. I. *Zacutus* II. M. Hiſt. p. 792.

Inſtrumentum hoc mortis humanæ jam olim fuit & ad eam delectum, *Quintil.* declam. XVII. *non ſpargit cruorem, non trucem cadaveris relinquit affectum, placida eſt, quieta eſt.* Quin imo ita temperant ut certo tempore demum operetur. *Valleriola* III. L.C. 18. *Regulus* apud *Gell.* VI. 4. Venenum ſibi Carthaginienſes dediſſe non præſentaneum ſed ejuſmodi quod mortem in diem proferret, eo conſilio, ut viveret quidem tantiſper quoad fieret permutatio, poſt autem graſſante ſenſim veneno cor tabeſceret, *Linſchoten* c. 31. Ind. Orient. mulieres Indicas venena quæ ad certum annum, diem, horam, ſubito nocent, conficere. Quod

Quod tamen *Mercurial.* l. 7. *Sennerto* VI. Med. Pract. part. II. 2. *Riol.* II. de abd. Cauſis 15. fabuloſum videtur.

Hinc venenum leges habere, emere noſſe denique vetant, inevitabilem peſtem occulta fraude graſſantem, *Quintil.* Declam. XIII. Veneni quo necatus *Alexander* tanta vis fuit ut non aëre non ferro non teſta contineretur nec aliter ferri niſi in ungula equi potuerit, *Juſtin.* XII.

*Philtra an ad redamandum impellant?* Neg. Ioh. *Matth.* quæſt. 32. *Riol.* II. de abditis 19. *Sennert.* l. Med. Pract. parte 2. cap. 10. qui tamen concedit philtris à Dæmone interdum virtutem inſpirari. Effectus philtrorum malignos, vide apud *Quercet.* Polyhiſt. Sect. I. c. 5. *Schenck* 7. Obſerv. 30. 31. Ovid. 2. de Arte:

*Philtra nocent animis vimque furoris habent.*

## CAP. XIII.

## *De Nutritione.*

AVis *Emam* pennas aliaque ignita deglutire & digerere, *Heidfeld* Sphinge cap. 6.

Fabuloſum Chamæleontem aëre nutriri

triri & colorem mutare. Veſcitur enim caſeo, herbis & aliis, G. *Sionita* c. 9. Arabicæ. *Ovid.* xv. Met.

*— quod ventis animal nutritur &*
*aurem*
*Protinus aſsimilat tetegit quoſcunque colores.*

Tolerabilior fames ſiti, F. *Plater.* Cent. Poſth. q. 32. Homines ſimul eſurire & ſitire non poſſunt. Idem q. 31.

*An corpora beatorum alimoniam ſint ſumtura?* Vide *Auguſt.* 13. C. D. 22. *Magyri* v. de Mundi Exuſt. 3.

*Bulimiæ* atrox exemplum refert *Fabricius* Hildanus Obſ. Chirurg. 31. de quodam qui ſeptem annos prodigioſa fame laboravit ut in defectu cibi gramina depaſtus fuerit. Vide *Donatum* IV. Med. Hiſt. 2.

*Cæl* 13. 39. l. 14. 1. Aliud Butimia aliud Canina fames. *Zacut.* 11. Med. Hiſt. p. 640. *Sennert.* 3. Pract. Med. parte 1. ſ. 2. c. 4.

Varietas ciborum parva non nocet, magna nocet, *Zacut.* 11. Med. Hiſt. p 725.

Quidam à potu per quindecim dies abſtinuerunt, *Gal.* 6. Epid. Sent. 4. Comm. 8. Quidam omnino à potu abſtinuit, *Plin.* 7. 18. Quidam per annum abſtinuit

ſtinuit & hydrope. Curatus eſt *Zacutus* 11. de Praxi admir. Obſ. 53. plura recenſet, *Quercet.* Polyhiſt Sect. 2. c. 4.

*An ebrietas rarior conducat ſanitati?* Aff. *Rhaſes* ad Almanſ. tract 4. c. 5. Negat *Zacut.* 11. Med. Hiſt. p. 666. *Sylvaticus* Controv. 14.

Piſces maxime multiplicantur & tranſmutantur invicem, *Kozak* Phyſ. Moſ. cap. 12.

Scythæ ut famem diutius tolerent faſciis ventrem ſtrictiſſimè circumligant, *Gell.* 16. 3.

Nutritio & alimentum non eſt quiddam neceſſarium ad vitam ſublunarem, niſi quatenus avocat calorem naturalem à conſumtione humidi radicalis. Hinc fieri poteſt ut multa viventia ſine alimento & abſque nutritione quandoque vivant diutius, *Licetus* 11. de Vitri. 11.

## CAP. XIV.

## *De Viſu.*

SEnſus non falluntur ſi ſunt puri & integri aut ſi falluntur mens non fallitur, *Lactant.* de Opificio Dei, c. 9. unde ſunt utiles ad cognitionem, *Euſeb.* 14. πϱοπ. 7.

*Lu-*

*Lucret.* I.

*Quid referemus enim quod nobis certius ipſis*
*Senſibus eſſe poteſt quo vera ac falſa notemus.*

*Cic.* 2. Acad.

*Palingen.* VII.

*-ſtultum eſt committere ſenſibus omne*
*Judicium fallunt oculi perſæpe videntes.*

Idem:

*Cumque dedit ſenſus natura animantibus illis*
*Quæ ſunt perfecta; aſt aliis non tradidit omnes*
*Atque ideo poſſunt merito imperfecta vocari*
*Quales lumbrici & talpæ coniſæq; marinæ*
*Cochlearii & ſpinis circumvallatus echinus.*

*Gellius* VII. 6. Quædam animalium aut cæca natura gignuntur aut inora, inauritaro, nullum autem quod aut guſtu ſenſu careat aut tactu teſte Ariſtotele & XIX. 2. quinque ſunt ſenſus.

Viſus emiſſione an immiſſione fiat, *Laur.* XI. Hiſt. A q. I. *Cæl.* 8. 24. *Keckerm.* Phyſ. 20. *Sennert.* VII. Phyſ. 2. Ruſticus quidam per nares vidit, *Scholtz.* Epiſt. Medic. 75, 76.

Oculi

Oculi per medium diſciſſi viſu illæſo curatio, *Langius* Epiſt. l. 7. *Smetius* 10. Miſcell.

De mira Oculorum excellentiâ & fulgore, *Camerar.* 3. Cent. 81. ubi exemplum Hiſpani ex Europa quæ in Africa gererentur videntis. De *Strabone* quodam *Plin.* VII. 21. *Val.* Max. VI. 5.

Viſus ſæpe fallitur, *Cæſar* 1. Comm. Conſidius timore perterritus quod non vidiſſet pro viſo renunciavit, *Apul.* Flor. 11. Homines neque longule diſſita neque proxima adſita poſſumus cernere, *Tiberius*, *Jul. Scal.* etiam nocte videmus, *Camerar.* Cent. 2. 8. idem de ſe narrat, Cœl. *Rhodig.* 8. 23.

Cur non res videamus geminatas, *Donah* 11. Hiſt. Med. 8. *Baſiliſcus* & *Catoblepa* intuitu occidunt ob noxios habitus, *Lemn.* Prol. ad O. N. & IV. 12. fabuloſum putat de Baſiliſco, *Valleſ.* S. Phil. p. 392. dubitat *Libavius* de Venenis Probl. 7. Baſiliſcum Ægyptii vocant *Ubæum* eumque immortalem eſſe putant & Solo afflatu occidere. *Horapollo* Hieroglyſt. Saturnius quidam Epheſius non ſecus ac Baſiliſcus Solo intuitu necabat, *Philoſtr.* in vita Apollon. Faſcinum per oculos fabuloſum, *Valleſ.* Phil, S. 68. *Brod.* l. Miſc. 37. Democritus

critus viſu ſe privavit utanimi cogitationes à videndi illecebra liberaret, *Gell.* x. 17.

Specula initio metallica, *Job.* 37. *Ex.* 38. Vitrum ſerius à Sidoniis inventum. De fabuloſô ſpeculo Alexandriæ, *Benjamin* in Itinerar. *Archimedes* naves Rom. ſpeculo combuſſit, *Galen.* 3. de temper. 2. *Zonaras, Lucianus.* Idem *Proclus* in obſidione Byzantii egit, *Zonar.* Tomo 3. in Anaſtaſio. *Apul.* Apol. cur cava ſpecula, ſi exadverſum Soli retineantur, oppoſitum fomitem accendunt *Apuleius* propter uſum ſpeculi accuſatus fuit. In Apol. ubi varia de ſpeculis problemata refert & Archimedem ingenti volumine de ſpeculis tractaſſe.

Perſpicillorum uſus viſui noxius idque ſe expertum refert *Dudithius* Ep. 47. apud Scholtzium. Vide *Lemnium* iv. O. N. Colorum appellatio admodum incerta apud Latinos. Aldus *Manutius* Præfat. in C. Cæſ. Comm. edit. A. 1513. *Heinſ.* Ariſtarchi cap. 6. Nonnum reprehendit quod ξανθὸν ὕδωρ dixerit. *Apul.* Flor. 22. duo colores præſtabiles ſunt *piceus* & *niveus* quibus inter ſe nox cum die differunt.

Vita carnis & ſanguinis eſt Spiritus *Salinus* per quam à putredine conſervantur.

tur: Unde ſanguis è vena miſſus cum refrigeratur *aquam viridem* ſalinam ſupernaturalem habet. Quamdiu aqua illa ſalina cum ſanguine manet, putreſcere non poteſt. *Paræ*.l. de Vita. Edm. *Deane* in Tract. Alch. complementum.

## CAP. XV.

## *De Odore.*

CUr plerique *Judæi* adeo fœtunt? Vide *Epiſt*. Fr. *Philelethi*. Heidfeld Schnige, cap.42. *Alexander* optimum odorem exhalabat, *Curtius*. Odor eſt effluxus vaporum à corporibus, Muſ. *Calceolar*. Sect. 6.p.650. *Lucret*. IV. Unde multi ſolo odore purgantium moventur. *Eraſtus* de occult. medicam. propriet. cap. 60.

*An odores nutriant?* Spiritus non partes ſolidæ, *Zacut*. 1. Med. Hiſt. p.67. partialiter non formaliter, *Neander* Tabacol. Muſ. *Calceolar*. p.654. *Aſtomi* ſolo odore vivunt: quos *Gellius* in oros vocat VII. 6. IX.4. *Plin*. & accolæ Gangis *Solin* cap.5. Chamæleon. idem cap. 49. Fabuloſum hoc eſt, Muſ. *Colceol*. p. 655. *Zacut*. 1. Hiſt. Med. p.70. non eſt fabuloſum, *Donatus* IV. Hiſt. Med. 12. Cha.

## Cap. XVI.

# *De Auditu.*

Lucret. vi. *—ſemper ad aures*
*Tardius adveniunt quam viſum quæ*
*moveant res.*

Idque probat ex fulmine & lignatore in Sylvis. *Quintil.* xi. acrior eſt oculorum quam aurium ſenſus.

Mira eſt aurium, linguæ palati & laryngis ſympathia, *Laur.* xi. Hiſt An· q. xi. *Platerus* Cent. Poſth. q. 26. miraculum cenſet unum ſonum exiguum tot auribus recipi. Sonus quomodo illabatur auribus, *Cæl.* 10. 54.

Malleolus, incus & ſtapes ſunt tantum ſubſidia auditus, vera cauſa eſt nervus, *Plater.* Cent. Poſth. quæſt. 25. Cur noctu ſonantius audiantur omnia, *Cæl.* 3. 10. Surdos poſſe doceri ut loquantur. Petrus *Pontius* Monachus S. Benedicti natos ſurdos loqui docebat non aliâ arte quam docens primo ſcribere res ipſas digito monſtrando. *Valleſ.* Phil. S. cap. 3. p. 60,

De Echo M. *Schookius*, & *Nigronius*, Orat. 2. *Ambroſ.* 6. Hexaem. unde reſponſa ſuavia referens echo reſultat.

Seneca Troad.

*—— habitanſque cavis*
*Montibus echo.*

Audiri ſolet echo in montibus, *Joſeph.* v. ἄλης in rupibus & ſaxis. *Juſtin.* 24. de Templo Delphico. *Cic.* pro Archia: ſaxa & ſolitudines humanæ voci reſpondent, *Apul.* v. Met. crebris earum ejulatibus ſaxa cauteſque parilem reſultant ſonum.

*Claud.* VI. Honor.

*Plebis adorata reboat fragor, unaque totis*
*Intonat Auguſtum ſeptenis vocibus echo.*

Loca celebriora ubi auditur ſunt Ægypti Pyramides, *Plut.* 3. de Placitis, Cap. 20. Cyzici turres, *Plin.* 36. 15.

Portus Poccile in Elide, *Pauſ.* Elias.

Ticini in Italia, *Card.* 18. de Mirabil. Olmi Charantoni prope Lutetiam ubi duodecies reſonabat, nunc ſtructo cœnobio ceſſat.

Nulla clarior quam Romæ in via Appia quæ octies eundem Poëtæ verſum refert, *Schottus* Itiner. Italiæ.

In Finniæ rupibus apud Juffrow Jound, ter ſonum refert, *Itiner.* Legat. Belg. in Moſcoviam Ann. 1515.

Piſces audiunt, *Palingen.* VII.

*Quin*

*Quin etiam piſces piſcantum gurgite ab alto*
*Horreſcunt ſtrepitus pavidique in retia currunt*
*Quippe aër penetrare poteſt in viſcera Nerei.*

## CAP. XVIII.

## *De ſomno & vigilia.*

*MEnecrates* triennio, Plin. 7. 51. Matrona nobilis triginta quinque annis, *Sen.* l. de Provid. *Nizolius* decennio, *Heurn.* de morbis, 1. 16. Somno caruerunt ſed hæc rara ſunt & naturæ limites excedunt, *Zacut.* l. Med. Hiſt. p. 93. Quidam *Anglus* dormiens doctas Conciones habebat ſed fuit fraus, *Druſ.* in Deuteron. cap. 45. *Virgil* v. Æn.

—— *conſanguineus leti ſopor.*

*Sen.* Herc. Fur.

——*frater duræ languide mortis.*

*Cic.* de Senectute: *nihil morti tam ſimile quam ſomnus.* Somnium τῆς φύσεως λιμένα vocat. Iſid. *Peluſ.* 111. Ep. 199. Nihil facilius ſimulari poteſt quam ſomnus. *Quintil.* Declamat. 2.

Mandragora vim habet ſoporandi,

*Cæl.* 9. 49. *Lemn.* in herbis Bibl. cap. 2.

Exempla diu dormientium, *Strozz.* Cicogna IV. Th. Nat. c. 6 *Donatus* IV. Hiſt. Med 12. *Galenus* 9. Meth. 4. *Quercet.*Polyhiſt.Sect.2. cap.10 *Petrarcha* 3. Rer. memorab. 4. *Juſtin.* 12,

Exempla ſomniorum præſagiuntium, *Hondorf.* in v. præcept. *Schenneman.* de novo fonte in Miſnia, cap. 1.

* Cur gallus evigilans ſuum edat ὄρθειον ἆσμα, ut *Gellius* loquitur, *Plin.* 10. 12. *Scal.* Ex. 239. *Cæl.* 16. A. L. 13. *Keck.* 3. Phyſ. 29. Somniant etiam bruta, *Ariſt.* IV. Hiſt. Animal. 10. Somnus meridianus non eſt noxius valetudini, B.*Ronſſeus* Epiſt. Medicin 19. Cauſa naturalis ſomniorum, *Cic.* 2. de Divinat *Claudian.* Præfat. in 6. Honorii Conſul. *Lucret.* IV. De Ephialte, ſive incubo, *Lemn.* 11. O. N. 3. *Cæl.* XIV. 47. *Zacut* l. Med. Hiſt. p. 119. & de praxi admirab. Obſ. 42. *Virgil.* XII. Æn.

De Somnambulis & Noctambulonibus, *Horſtius* peculiari tractatu & *Conſultat.* ac Epiſt. Medic. l. 3. c. 1. *Zacutus* l. de Med. Hiſt. p. 107. & l. de Prax. mirab. Obſ. 43. *Valleriola* 11. Obſ. Medic. 4. *Sennert.* 1. Med. Pract. parte 2. c. 19. *Theon* Tithoreus Stoicus dormiens

in

in ſomnis ambulabat & Periclis ſervus in ſummo tecto, *Laërt.* 9. *Galenus* de ſeipſo 11. de Motu muſcul. 4. *Zacutus* l. Hiſt. Med. p. 106.

Nomine vocati, decidunt, ſed cauſa eſt clamor, non vis nominis, *Keckerman.* 3. Phyſ. 29. & Diſput. 17. Vir quidam noctu dormiens inſanibat, vigil ſanæ mentis, *Dodonæus* Med. Obſ. cap. xi.

## CAP. XVIII.

## *De Animalibus.*

SExus diſcrimina non reperiuntur in omnibus animalibus, *Ariſt.* 1. de Gen. Animal. 1. Omnes Rhinocerotes ſunt mares. *Oppian.* 11. Κύνεγ. In lapidibus ſæpe Piſces & bufones naſcuntur, *Nierenberg.* 6. Hiſt. Nat. 13. In Getuliæ mediterraneis montibus reperiuntur piſces, *Apul.* Apol. vide *Melam* 11. 5.

*An ſermo brutis competat?* Similitudo ſermonis, *Lactant.* de Ira Dei, c. 7. Vox, *Ariſtot.* 1. Polit. 2. *Virgil.* 10.

*cui pecudum fibræ cœli cui ſidera parent*
*Et linguæ volucrum.*

Author Carminis de Philomela.

*Pſittacus humanas depromit voce loquelas*
*Atque ſuo Domino* χαῖρε *valeq; ſonat.*

 Pſit-

Pſittacus *conatur* loqui, *Perſius*. Apul. *Florid.* XI. *Ovid.* 2. Amor. el. 6.

*— loquax humanæ vocis imago*
*Pſittacus.*

*Cervus* à Philadelpho ita educatus ut Græcam linguam intelligeret, *Cæl.* 12. 6. Elephanti ſe mutuo intelligunt, *Oppian.* II. Κύνεγ. *Hyena* imitatur vocem humanam, *Solin.* c. 36. *Plin.* 8. 30. intelligit ſermonem humanum ex opinione Turcarum *Buſbeq.* Epiſt. 1.

Exempla plura vide apud *Plin.* 10. 42, 43. *Plut.* de Induſtria animal. *Macrob.* 2. Saturn. 4. *Camerar.* Cent. 3. 71. *Cæl.* 9. 38 XVI. 14. *Waygamæ* Braſiliæ populi avium & animalium voces intelligunt, *Zigler.* in America.

*Virgil.* III. Æn. de Helene:

*—— qui ſidera ſentis*
*Et volucrum linguas.*

De Apollonio vide *Euſeb.* contra Hieroclem. Pars Magiæ fuit linguas avium interpretari, *Gell.* 10. 12. Si locuta bruta factum vel ope Dæmonis vel divina virtute, *Camer.* 3. Cent. 71.

*An ſint Gryphes?* Aff. *Herodot.* II. & III. *Mela* II. 1. *Solnic.* 20. *Philoſtratus* 3. de Vita Apoll. 13. & VI. 1. Negat *Plin.* X. 49. *Arrianus* l. de Exped. Alex. *Plautus* Aulul. IV. 8. Picos appellat:

*Picos*

*Picos divitiis qui aureos mentes colunt*
*Ego ſolus ſupero.*

*Apul.* XI. Inde gryphes hyperborei quos in India & Bactriana reperiri ajunt. Vide Munſter *Coſmogr.* v. 69. *Bartaſ.* v. Hebd.

*An detur Phœnix?* Fabulas eſſe quæ de Phœnice referuntur, *Nierenberg.* I. Hiſt. Nat. 15. vide *Ovid.* 15. Met. *Claudian.* II. de laud. Stilic. *Lactant.* Carmine de Phœnice. *Bartaſ.* v. Hebd. *Tacit.* VI. Annal.

*An Cygni cum moriuntur ſuaviſſime cantent?*

Aff. *Plato* in Phœdone. *Ariſt.* IX. Animal. 12. *Cic.* I. Tuſc. *Lucret.* IV. *Theocritus* Idyll. 19. Negat *Plin.* X. 23. *Athenæus* IX. dipnoſ. 16. *Ælian.* I. Var. Hiſt. 14. *Scaliger* Ex. 232. *Bodin.* Meth. Hiſt. c. 4. *Ovid.* in Epiſt. Didonis,

*Sic ubi fata vocant udis abjectus in herbis*
*Ad vada Mæandri concinit albus olor.*

XIV. Met.

*Carmine jam moriens canit exequi alia Cygnus.*

*Apul.* Flor. 17. Olores apud avios fluvios Carmen Senectæ meditantur. *Seneca* Hippolito.

*Dulcior vocem moriente Cygno.*

*Keck.* Diſput. XVIII. Problem. XI. Ariſtot.

ſtot. ſententiam defendit. Apud Platonem *Socrates* diſputat *Cycnos* propterea in morte ſuavius Canere quoniam tum maxime prævideant animorum immortalitatem. Putabant enim etiam brutorum animas poſt mortem eſſe ſuperſtiſtites. *Catullus* de Paſtore.

*— qui nunc it per iter tenebricoſum*
*Illuc unde negant redire quenquam.*

Idem *Virgil.* in Culic. 1. de dogm. Platonis: Animam omnium animantium non corpoream eſſe nec ſane perituram cum corpore fuerit abſoluta.

*Delphini* Simonis nomine gaudent, *Plin.* 9.8. Rationem reddit *Geſnerus. Keck.* diſp. 18. p. 12.

*An detur unicornu?* Aff. *Bartholinus* in peculiari tractatu, *Smetius* Miſcell. lib. 8. *Scholtzius* epiſt. 43. *Ælian.* XVI. 20. *Plin.* 4. 12. Dubitat an ſit *Ambroſ.* l. de bened Patriarch. 11.

*An detur Baſiliſcus?* Aff. *Sennert.* VIII. Chyſ. 10. & 6. Med. tract. parte 8. c. 12. unus etiam Zwiccaviæ fuit *Agricola* de animal. ſubterr. Sed falſum ex ovo galli gigni, *Lemn.* IV. O. N. 12. De Baſiliſco ſunt fabulæ hieroglyphicæ, *Nierenberg* 6. Hiſt Nat. 20. Chimici ad ſuum lapidem referunt, *Walchius* fab. 7. quomodo pro-

gene-

generetur ex menſtruo muliebri *Paracelſus* l. 1. de generat. rerum naturalium & l. de Meteoric. c. 9. *Lucanus* IX.

*Sibilaque effundens cunctas torrentia peſtes*
*Ante venena nocens late ſibi ſubmovet omne*
*Vulgus & in vacua regnat Baſiliſcus arena.*

Vide *Plin.* 8. 2. & 29. 4. *Solin.* 38.

*An urſus fœtus informes ejiciat quos lambendo perficiat?* Aff. *Solin.* 35. *Gell.* 17. 10. *Plin.* 8. 36. *Ælian.* 11. de Animal. 19. *Ovid.* xv. Met. Negat *Scal.* ex 6. ſ. 15.

*An animalia quædam ex vento concipiant?* Aff. *Juſtit.* 44. *Strabo. Varro* II. de Re Ruſtica 5. *Plin.* 8. 42. *Columella* 6. *Solin.* 53. *Homer.* 1. λ. 16. *Virgil.* 3. Georg. *Lemn.* IV. O N. 19. *Lactantius* IV. Inſt. 12. animalia quædam vento & aura concipere omnibus notum eſt.

Aves non ex aëre ſed terra creatas vult *Apulejus* l. de Deo Socratis.

Feræ generoſiores jacentes tranſeunt, *Quintil.* declam. 9 *Ovid.*

*— eſt nobilis ira leonum*
*Pugna ſuum finem cum jacet hoſtis habet.*

Leo cicur in arce *Heydelbergenſi* fuit

qui Principem more canis ſequebatur, ante pedes ejus recubaret & ſe pecti ſineret. *Piſcator* in Exegeſi Aphoriſm. loco v.

In *Cochin* & *Malabar* nullæ pari aut ſimiles aviculæ ſunt ſed in *Goa* multæ pari & aliquot vincos, *Linſchot*. c. 45.

De *folibus* Cypri *Ghiſtelle* 5. itin. 3. *Damaſci* l. 6. 7. *Elefanti* nunc in Barbaria nulli cum olim frequentes fuerint: cauſa neſcitur. *Ghiſtelle* 8. 30.

Quomodo *veſpertilio* famulum Monachorum in Chiribichi pleuritide liberarit. vide *Hiſt. Ind.* lib. 2. c. 80.

De Cane *Vezerillo* & *Loncillo* Hiſt. *Ind.* 2. 44. 65.

In Congo *Tigrides* non albis ſed nigris hominibus infeſtæ. *Lopez* in Congo l. 1. c. 8.

*Sorices* in Peru illati nave Gabrielis de Carvajal vocantur à Peruanis Ococha id eſt res falſa. *Hiſt. Peru* l. 3. 2.

*Africam* cervis deſtitutam putarunt *Herodot* Melpom. *Ariſtot*. *Plin*. *Lucan*. x. *Seneca*: cervos habere affirmant *Philoſtratus* 6. de vita Apollon. *Virgil*. 1. Æn. *Oppian*. 2. Κυνηγ. *Urſos* ibidem eſſe affirmat *Herodotus*, *Livius*, *Solinus*, *Strabo*, *Juvenal* *Virgil*. *Ælianus* negat *Plinius*. Apros ibidem dari vult *Virgil*. iv. Æn negat

negat *Plinius.* Dormitaſſe propterea putant Barclajum quod Afros introducat Dianam ad aprorum venationem invocantes.

*An Animalia quæ ſponte naſci poſſunt produxerit Deus in prima creatione, ut lentes, pulices, pediculos?* Negat *Nieremb.* v. Hiſt. Nat. 20. Apes ex putri juvenco progignuntur. Modus extat apud *Virgilium* iv. Geor. *Plin.* xx. *Columella* x. 14. *Lactant.* 11. 9. nec tamen commoveat aliquem quod animalia quædam de terra naſci videntur Hæc enim non terra per ſe gignit, ſed ſpiritus Dei: ſine quo nihil gignitur. *Petrarcha* 11. de Remed 90.

Quædam facta ſunt ut exerceant, doceant & conditoris admoneant. Et muſca & pulex & bruchus & locuſta, cæteraque hujuſmodi creata non ſine certa cauſa ſunt ab illo qui vidit cuncta quæ fecerat eſſe valde bona. Et ſi nulla eſſet alia, illa ſola ſufficeret ut his armis humana ſuperbia domaretur. *Plin.* 11. 2. Natura nuſquam magis quam in minimis tota eſt.

*Hieronym.* Epiſt. 3. ad Heliod. Miramur Deum effectorem non tantum in Cœlo, Sole, Oceano & Elephantis, ſed etiam in formica, culice, muſca, vermi-

F 6 culis,

culis, quorum magis ſcimus corpora quam nomina.

*Undenam oriantur vermes Indici, in Guinea, Ormuz & alibi qui in hominum corporibus naſcuntur?* Frequens hic in *Guinea* & *Ormuzo* morbus. Naſcuntur vermes in hominum partibus carnoſis, pedibus, feminibus, membro virili, ſcroto, lumbis. Longitudine & craſſitie inæquales ſunt, communiter filum vel chordam ulnarem fere æquant. Reperiuntur non in omnibus hominibus ſed in quibuſdam. Duo quæruntur: *An ſint vermes?* Multi putant non eſſe vermes ſed nervos putreſcentes. vel aliud quid. Ratio: quia non vivunt. Alii dicunt vivere & mori adeoque vermes eſſe: moveri enim & quieſcere. Unde oriantur Sex ſententiæ ſunt ſed omnes dubiæ. Vide partem II. deſcript. *Gum.* cap. 45. De vermibus intra corpora genitis Alex. *Trallianus* 7. Medic. 4. *Zacutus* II. Med. Hiſt. p 629. 882. *Ronſſeus* epiſt. 10. *Donatus* IV. Hiſt. Med. 26.

*Caſtor an ſibi genitalia præſcindat?* Aff. *Apul.* I. Met. Caſtor captivitatis metuens ſe ab inſequentibus præciſione genitalium liberat. *Juvenal.* Sat. 12.

—— *imitatus Caſtora qui ſe*

*Eunu-*

*Eunuchum ipſe facit cupiens evadere damno*
*Teſticulorum, adeo medicatum intelligit inguen.*

Aff. *Bartaſ.* 6. Hebd. Negat *Valleſ.* c. 3. Phil. S. p. 63. ubi unde hic error ortus, recenſet.

*An lupi conſpectus elinguem reddat?* Aff. *Lemn* prologo ad O. N. Cauſam refert in oris hiatum & halitum virulentum quo raucedo inducatur propius aſſiſtenti, *Solin.* cap. 36. Si venantes hyænæ umbram contigerint, latrare nequeunt voce perdita.

*An bruta rationalia ſint? Lactantius* diſtinguit inter rationem ad vitam tuendam & ad religionem: priorem brutis cum homine Communem: poſteriorem ſolius hominis. Vide II. Inſt. 3. III. 10. VII. 9; l. de *Ira* Dei 7. 12. *Minutius* in Octavio, *Juvenal.* Sat. XV.

—— *Venerabile ſoli*
*Sortiti ingenium divinorumque capaces*
*Atque exercendis Capiendiſque artibus apti*
*Seorſum à cœleſti demiſſum traximus arce*
*Cujus egent bruta & terram ſpectantia mundi*

*Prin-*

*Principio indulſit Communis conditor illis*
*Tantum animas nobis animum quoque.*

*Salluſt.* Catil. Animi imperio corporis ſervitio magis utimur. Alterum nobis cum diis, alterum cum belluis commune eſt.

*Iſidorus* Peluſ. II. ep. 119. Τῶν, ζώων φανταστικὴ ἐστὶν ἡ φύσις οὐ λόγικος. Pſal. XXXII. Nolite fieri ſicut mulus & equus in quibus non eſt intellectus, *Nierenberg.* prolixè, an brutis mens ſit. l 3. Hiſt. Nat. cap. 10. ad 29. negat mentem habere licet ſagaces actiones edant.

Exempla ſagacitatis apud *Walchium* Decade fabula 3. *Plut.* de induſtria animal. *Plin.* 8. 26. 27. Piſcibus vim ingenii & ratiocinandi tribuit, *Geneſius* de Sab. 22. de pica & ſturno, *Petrarcha* l. de Rem. Dial. 64. de apibus *Quintil.* declam. 13. Animal quodammodo parvum hominis exemplar.

Bruta habent rationem ſed remiſſiore quam homines gradu, *Proaſter* Jeſſenii. Idem. Omnia videntur linguâ ſua loqui præter piſces & reptilia: ibidem de cane ſuo alacri mortem ægrorum præſagiente. de gratitudine brutorum *Gell.* V. 2. 14.

VII.

vii. 8. xvi. 19. *Camerar.* ii. Cent. 82. 83. 84. Neg. *Strozzius* Cicogna iv. Th. Nat. 6. Aff. *Valla* i. dial. 9. quia habent memoriam voluntatem & diſcurſum.

De Lycanthropis *Mola* ii. i. Neuri in lupos quotannis vertuntur, *Soli.* c. 20. *Voſſius* ii. Grammat. 16. *Peucer.* l. de divinat.

Animalia habent poteſtatem futura præſciendi. *Noll.* 10. Chyſ. 9.

An *Echineis* ſive *remora* navigia ſiſtat? *Lucan.* vi.

*Puppim retinens euro tendente rudentes*
*In mediis Echeneis aquis.*

*Oppian.* i. ἁλιεύτ. v. 212. 223. *Ovid.*

*Parva Echeneis adeſt, mirum mora puppibus ingens.*

Remoram piſcem ingentem eſſe, non tam exiguum probat *Nierenberg* xi. Hiſt. Nat. 4. Piſcis quidam ingens navim ad Moſambeque ſecundo vento navigante per 14. dies retraxit *Linſchoten* c. 48. Ind.

Fabulam eſſe putat *Sanctorius* 8. Meth. xi. *Del Rio* i. Mag. c. 3. q. 4. Verum eſſe putat *Oppianus* l. c. & in eum Rittershuyſ. *Keck.* de Nautica parte ſpeciali Probl. 10. *Petrarcha* præfat. in 2. de Rem. *Bartaſ.* 5. Hebd.

Ita torpedo membra ſtupefacit veneno ſolida corpora inſtar fumi penetrante, *Sennert.* 6. Med. Pract. parte 8. c. 38. *Oppian.* 3. ἁλιευτ. 4. Hebd. *Scal.* Ex. 218. ſ. 37.

In India Orientali Cancri, oſtrea, Luna nova creſcunt & augentur: plena decreſcunt contra quam apud nos fit. *Luſitat.* c. 48. Ind.

*Ciconiæ* ex noſtris regionibus in Ægyptum aliaſque calidas regiones avolant *Ghiſtelle* 4. Itin. 15.

In Inſula *Rhodo* canes noctu excubias agebant Turcas latratu & morſu prodebant, Chriſtianos defendebant *Ghiſtelle* 8. Itin. 5.

Unde piſces foſſiles? à voragine illa boreali inter Roeſt & Loeffelt de qua *Olaus* Magnus, in terram abſorbentur per arenas, *Helmont.* l. de Aqua num. 1.

## CAP. XIX.

## *De partibus animalium.*

M*Inutius* in Octavio. Nihil in homine membrorum eſt quod non & neceſſitatis cauſa ſit & decoris. Idem *Theophilus* Protoſpatarius l. 1. de fabr. human.

cap.

cap. 1. In collo ſunt venæ quas donatus *Liſas* vocat quibus conſtrictis motus & ſenſus conſtat, *Titelm.* 10. Phyſ. 18.

*An lien fruſtra conditus?* Negat *Joh.* Matth. quæſt. Medic. 2. contra *Galenum* IV. de uſu partium 15. *Ariſt.* 3. de part. Animal. 7. *Eraſiſtratum* apud *Plin.* XI. 37. *Laurentius* Anat. 6. q. 25. *Riol.* 11. Anthrop. 23. *Apul.* 1. de dogm. Platonis lien jecineri non fruſtra finitimus, ut ejus redundantiam participatis hauſtibus relevet abſtregatque ea quæ ſordium fuerint; purumque ac ſincerum præſtet quod maximé fibris eſt commodum.

*Theophraſtus* omnes perdices in Paphlagonia bina corda habere dicit: *Theopompus* in Biſaltia bina jecora, *Gellius* 16. 15.

*Cor an cerebrum primatum obtineat?* Utrumque diverſo reſpectu, *Keckerm.* 3. Phyſ. 15. Diſput. 14. Probl. 1. ſine cerebro quidam tribus annis vixit, *Zacut.* 1. de Prax. admir. Obſ. 4. & Obſ. 5. cultellum octennio intra cerebrum latuiſſe ſine noxa.

Quædam animantia exemto corde non tantum vivunt ſed & currunt & vociferantur, *Laur.* 1. Anat. q. 7. *Acoſta* 5. 28. de Indo corde exemto immolato qui ad Hiſpanos dixit cum de ſcalis præceps

ceps daretur: *Equites, mactarunt me.* ad quod reſpondet *Keckerman.* 3. Phyſ. 15. dicens etiam arietem ſine capite ambulaſſe teſte Averroë. Nec improbat *Ariſtoteles* 3. de part. Animal. 10. corpus de tracto capite vivere poſſe.

Dentes ſunt oſſa, *Laur.* 11. An. q. 14. *Riol.* de Oſſibus, cap. x1. Sentiunt *Brod.*. Miſc. 14. *Taurell.* v. 5. Alp. Cæſ. *Lucret.* 111.

*— Dentes quoque ſenſu participantur*
*Morbus ut indicat & gelidai ſtringor aquai.*

Sentiunt tota ſubſtantia non tantum reſpectu nervi etſi exquiſitius, *Laur.* 11. An. q. 12. *Cæl.* Rhod. 2. 23. *Zacut.* 1. p. 471.

Renaſcuntur aliquando 80. anno, *Zacut.* 11. Hiſt. Med. p. 45. & l. 3. p. 124. *Dodonæus* Obſ. Medic. p. 262.

Cerebrum æque calidum ac reliqua membra, *Plater.* Cent. Poſt. quæſt. 13. *Hofman.* de uſu cerebri, c. 17. frigidiſſimum eſt, non tamen ad tactum.

Origo nervorum eſt a corde, *Ariſtot.* 3. de part. Animal. 4. à cerebro, *Galenus.* Vide *Hofm.* de uſu cerebri, cap. x1. *Keckerm.* 3. Phyſ. 15.

Hepar eſt venarum principium, *Laurent.* 1v. Anat. q. 1, 2, 3, 4, 5, 6.

An

An διάφραγμα ſive φρένες rationis & prudentiæ capax ſit? *Brod.*5. Miſc.14.

Elefanti dentes habent non cornua, *Ariſtot.* 3. de part. Animal. 2. 11. Hiſt. Animal. 5. *Plin.* 8. 3. *Philoſtratus* 11. de Vita Apollonii. *Ovid.* 8. Met.

*— dentes æquantur dentibus Indis.*

Elephantos cornutos non dentatos eſſe, *Camer.* 11. Cent. 96. *Cæl.* 7. 39. *Oppianus* 11. de Venat. v. 490.

Dextra fortior ſiniſtra, *Ariſt.* 5. Eth. 7. *Keckerm.* Diſput. 19. fœminæ non fiunt ambidextræ, *Plin.* 7. cui Amazonum hiſtoria refragatur.

Barba non ob pulchritudinem ſed virilitatis lege, *Plat.* Cent. poſth. q. 6. vide *Pierium* de Barba Sacerdotum, *Lactant.* de Opificio Dei, cap 7.

Mirum hominem tam anguſtis pedum plantis erectum ſtare poſſe: fit autem ob muſculos, *Plater* quæſt. 11. Cent. poſth.

De aqua & ſanguine ex latere Chriſti fluente Miraculoſum hoc fuit, *Riol.* 3. Anthrop. 7. ubi Laurentium imperitum & impium fuiſſe dicit qui ex Capſula cordis profluxiſſe putet. Vide integrum Th. *Bartholini* tractatum.

*An homo ſit animal?* Negat *Majerus* Sept.

Sept. Philoſ. ænigm. 295. quia animalis eſt ſentire, hominis ratiocinari; at forma perfectior tollit imperfectam. Contrarium adſtruit *Becman.* de uſu Logicæ.

An partus *monſtroſus* ſit *monſtroſus*? Exempla vide apud *Donatum* IV. Hiſt. Med. IV. *Schenck.* IV. Obſ. 61. *Licetum* de Perf. conſtit hom. c 6. ubi cauſam refert in diviſionem ſeminis in utero, ut in quot partes dividatur tot fœtus generentur. De Comitiſsâ *Hollandiæ* CCCLXIV. liberorum matre unô partu, *Guicciard.* Voſſium fabuloſum oſtendit.

Aliud & de ſucceſſivo. Ita Ruſtici Hiſpani progenies pagum centum domorum ipſo adhuc vivo compleverat. *Vives.* In Anglia quidam reliquit CCCLXVII. legitimos poſteros, *Jonſton.* Nat. Conſt.

Cur autem Animalia πολύγονα & πολύσπερμα minus ſint vivacia, rationem reddere vult, *Keckerm.* Diſp. Phil. XII. pr. 3.

*An corpora quædam ſine nutritione naturaliter poßint ad longum tempus vivere?* Exempla paſſim referuntur, vera, falſa. Vide *Cæl.* Rhod. VII. 45. XXIV. 21 *Agrippam* I. Occult. Philoſ. 58. *Donatum* IV. Hiſt. M. 12. & VII. I. *Deodat.* I.

Pan-

Panthe. 20.. *Quercet.* Sect. 11. Polyhiſt. 4. *Strozz.* Cicogna IV. Th. Nat. 6. Hiſt. *Ecclеſ.* Hedionis VII. 14. *Horſt.* Probl. Medic. Dec. v. q. 7. *Heurn.* VIII. Inſtit. Medic. 3. De fame puellæ Bernenſis Apolloniæ Schreils *Fabricius* Hildanus Cent. 1. Ep. 69. ubi inquit: ſatis apparet ipſam nutriri ſed unde? Deus ſcit, nos cœci ſumus omnes in hoc caſu, dolus tamen nullus ſubeſt. Idem Obſ. Chirurg. 29. narrat puellam annos quindecim cibo & potu abſtinuiſſe. Idem Dan. *Heremita* Epiſt. ad Gonzagam de Helvet. moribus. Prolixè *Sennertus* III. Med. Pract. parte 1. Sect. 11. c. 2. ubi humores pituitoſos rejiciens, cauſam ſtatuit humoris eam in corpore conſtitutionem ut à calore abſumi non poſſit. *Petrarcha* dicit Venetiis fuiſſe qui quadraginta dies ſine cibo viveret. Sæpe tamen fraus latet, ut in puella Meurſenſi deprehenſum. *Langius* vaſa nutritiva conſtricta tantam abſtinentiam cauſare poſſe putat cum *Gellio* XVI. 3. De Animalibus quæ hyeme dormiunt ſine alimento alia res. *Croll.* de ſignaturis rerum internis p. 63. de muribus Alpinis Heremita l. c.

*An ante conceptionem lac generare queat?* Non verum ſed ſimile quid lacti. *Laurent.* 9. Hiſt. Animal. q. 2. Ioh. *Matth.* Cent. quæſt. 14.

*An*

*An cor princeps membrum?* Negat *Laurent.* 1. Hiſt. Anat. 2. Aff. *Hofman.* 2. de Gen. hom. 23.

Sexus propagationis cauſa eſt. Hinc in vita æterna pudendorum nullus erit uſus & probabile maſculos omnes cum mulieribus viros futuros, *Magius* v. de Exuſtione mundi, 3.

Facierum diverſitas maximum miraculum, *Riol.* iv. Anthrop. 3. *Firmicus* 1. Aſtron. 3. nec invenitur aliquis ita ſimilis ut non vultus ejus ab alterius vultu ex aliqua parte diſſentiat.

An capite præciſo reliquum corpus progredi poſſit? Exempla *Cæl.* 2. 23. qui hoc infinitæ potentiæ Dei adſcribit.

Uſus cerebri eſt Spirituum generatio. *Galenus* cordis refrigeratio. *Ariſtoteles:* non diſſentiunt hæc duo, quia Spirituum generatio Galenica eſt refrigeratio cordis Ariſtotelica, *Hofman.* de uſu cerebri.

Semen non eſt deciduum ex omni corporis parte, *Hofman.* 1. de generat. Hom. 12.

Cur hominum alii nigri? an à calore Solis an à ſemine? *Lopez* 1. Congo 3. an cauſa ignoratur, Hiſt. *Indiæ* l. 5. c. 216.

CAP.

## Cap. XX.

## De Monſtris.

FRequens monſtrorum proventus ut exempla referre opus non ſit, quorum centurias recenſent Chriſtoph. *Irenæus*, *Schenckii*, & alii. Cur generentur & quomodo inquirit *Valleriola* 1. Loc. Comm. 18. Illud plane portentoſum eſt quod *Langius* 11. Epiſt. 8. refert. Maſculum de pectore matris natum & ſine ſexus compare aut ſemine parturiiſſe. Et ſimilia ſparſim referuntur à *Valleriola* IV. Obſ. Medic. *Amato* Luſit. Curat. LVII. Cent. 3. *Munſtero* IV. Coſmogr. 66. *Cælio* Rhodig. VII. 35. XIII. 3. *Zacutus* Luſit II. 40. III. 91. *Lemnius* 8. IV. 7. de O. N. M.

Sanè cauſæ merè naturales non videntur ad tantam aberrationem ab imagine Dei ſufficere: unde Bald. *Ronſſeus* de hum. vitæ primordio Cap. XI. id ad ſingularem Dei offenſam refert; & quod ſemper aliquid mali portendant. Epiſt. Medic. 3. quanquam magnam humanæ imaginationis vim eſſe ad monſtroſam fœtui figuram imprimendam negari non poſſit, *Paracelſ.* 1. de Gener. natural. *Lemnius*

I. O.

I. O. N. 4. Certe ad averrucanda mala antiqui gentiles his monſtris vim intulerunt. LL. XII. Tabul. Aruns Aruſpex apud Lucan. I.

*Monſtra jubet primum quæ nullo ſemine diſcors*
*Protulerat natura rapi ſteriliquе nefandos*
*Ex utero fœtus infauſtis urere flammis.*

*Lutherus* quoque monſtrum humanum interfici voluit ſi credimus Hondorfio Exemplis ad I. præceptum. Sed hæc ad conſcientiam pertinent. Id qnidem dubitari non poteſt eſſe aſtantium malorum præcurſores tales partus monſtroſos, quemadmodum inter belli Civilis portenta refert *Lucanus* I.

*Monſtroſoſque hominum partus numeroque modoque*
*Membrorum matremque ſuus conterruit infans.*

Non autem eadem ratio Hermaphroditorum quos tamen monſtris accenſent, *Lemn.* I. O. N. 9. *Sennert.* III. Med. Pract. parte 9. Sect. I. cap. 13. M. *Donatus* VI. de Med. Hiſt. Mir. 2. multominus numeroſæ prolis, *Cæl.* II. 55. quinimo prodigioſis monſtroſiſque partubus atq; abortivis animam rationalem inditam ac reſurrecturos vult, *Lemn.* I. O. N. 15.

Quod

Quod vero antiqui & recentiores nonnulli integras nationes menſtroſas alicubi extare tradiderunt, id qui loca illa peragrarunt fabuloſum deprehenderunt, *Ghiſtelle* IV. Itiner. 14. VII. 15. Ut mirer Walterum *Rhalegum* in America interiori reperiri homines quorum caput oculi & os in pectore, capilli in humeris, tanto conatu aſſeruiſſe, quod fabuloſo Mandevillio cap. 70. Itiner. idem tradenti adeo exprobratum fuit.

Magna tamen inter populos formarum differentia eſt: quidam adeo vel aſpectu vel moribus vel ingenio truces, ut beſtiis quam hominibus ſimiliores videantur. Quid de Valleſiis quos *Gouchen* vocant, ſtercus equinum aut fœnum vorantibus, nudis tota hyeme incedentibus, Joſ. *Simlerus* teſtatum facit. Nolim tamen hebetes & fatuos monſtris acceſeri quod facit *Quintil.* 1. Inſt. 1. multo minus Scythas *Apul.* Apol. aut Thraces qui numerando ultra tria non proceſſerunt vel Herodis Attici filium qui ne tres quidem Alphabeti literas diſcere potuit. Hic enim locum habet illud Apuleii Apol. *apud ſocordiſſimos Scythas Anacharſis ſapiens natus eſt, apud Athenienſes Catos Meletides fatuus.*

Unde autem fiat quod in *Alpibus Rhe-*

*ticis* homines ſtrumoſi fiant quæſitum à multis fuit? Hoc enim adeo ibi frequens ut *Juvenalis Sat.* XIII. dicat:

*Quis tumidum guttur miratur in Alpibus?*

Aquam in cauſa eſſe *Simlerus* l. de Valleſiis ſtatuit.

Ac ne quis excipiat, divites ergo qui raro vel nunquam aquæ potores ſint, eodem vitio laborare, dicit aquæ uſum ad panem etiam & alios cibos adhiberi. Idem G. *Agricola* vult. Et ſane in agro Tigurinô fons reperitur qui gutturoſos facit. Daniel *Heremita* Epiſt. de Helvet. moribus ad Fr. Gonzagam aquam excuſat neque ejus vitio illam extuberantiam fieri poſſe putat quod etiam *Munſterus* III. Coſm. 35. vult: cauſas eſſe vel loci naturam vel ignotas nobis. Nihil nunc dico de hominibus marinis. Exempla extant apud *Guicciard.* in deſcript. Harlemi.

GE-

# GEORGI HORNI HISTORIÆ NATURALIS.

## *LIBER TERTIUS.*

### CAPUT PRIMUM. DE

### *DE HOMINE.*

SEd jam ad Hominem de cujus præſtantia, *Lemnius* l. O. N. 2. *Cæl.* 1. A. L. 2. XXXVIII. *Lactant.* de Opificio Dei. *Laurentius* Anat. l. 1. 2. de origine autem tenebræ apud gentiles: quapropter ſtudioſe inquiſitum: 1. Æn.

*- Unde hominum genus & pecudum.*

Varia enim excogitarunt: Sapientiores hominem à Deo creatum: hoc Sibyllæ

hoc Cicero voluerunt. *Lactant.* II. Inſt. 12. ubi etiam Stoicorum opinionem producit de qua & *Cicero* I. de Legg. & ad illum Adr. *Turnebus.* optime *Ovid.* I. Met. 4.

Sane terram illi non abſurde ſtatuerunt materiam hominum, *Lactant.* VII. 4. *Stoici putant homines in omnibus terris & agris tanquam fungos generatos.* Error quod ex omnibus terris, ſponte, inſtar fungorum editos putarunt. idque factum Corinthi *Ovid.* VII. Met.

> *— Hic ævo veteres mortalia primum*
> *Corpora vulgarunt pluvialibus edita fungis.*

Unde homines ex terra natos opinio Ægyptiorum. *Juſtin.* II. hinc ab humo dictos aliqui putabant, quod *Quintil.* l. 9. ridet. Vide & *Lactant.* II. XI. 12. VI. 10. *Horat.* I. Serm. 3. Terræ filii apud Latinos Saturnus. *Minutius* Octavio. *Lactant.* l. XI. *Tertull.* Apol. alii Neptuno id eſt mari oriundi quia inſulani & truces. *Scholiaſtes* Apollon. *Gell.* XV. 21. Omnium proxime ad verum acceſſerunt qui ex limo hominem effinxerunt, quorſum fabula de Epimetheo & Prometheo apud *Claudianum* II. in Eutropium. *Propert.* III. 4. *Lactant.* II II. *Juven.* VI. qui ex robore ſive ligno deducit: quæ eſt Italorum opinio. *Virgil.* VIII.

*Genſq;*

*Genſq; virum truncis & duro robore nata.*
Ac ne quid ad duritiem humanam deeſſet, etiam lapides eorum parentes ſtatuebantur, *Ovid.* l. Met. 21. *Virgil.* l. Georg. *Juven.* Sat. l. *Juſtin.* 11.

Sed quis omnia de Origine hominum prodigioſa commenta referat? Satius eſt ejus cum toto mundo convenientiam admirari. Hominis ſtructura mirabilior eſt univerſi totius opificiis: nam in magna tabula multa pingere facilius eſt quam in exigua tabula omnia complecti, *Laur.* 1. Anat. 2. cui conſonat F. *Platerus* Quæſt. XXXIV. Cent. poſth. *Non minus miraculum eſſe hominem qui non fuit naſci quam qui fuit reſurgere.* Vide *Crollium* de ſignaturis rerum internis, *Nollium* Prodr. Phyſ. Herm. cap. 6. & XI. Phyſ. 7. *Diodat.* 1. Panth. Hygiaſt. 1.

Haud dubie homo creati mundi finis, *Lucret.* v.
*Omnia ſunt hominũ tutelæ tradita Memmi.*
Quanquam *Scaliger* veritatis hoſtes eos vocat, qui volunt omnia ad hominis uſum facta. Ex. CCL. parum memor Pſ. 8.

Creato ſemel homine, impoſterum homo generat hominem & Sol, ut *Ariſt.* loquitur 11. Phyſ. 2. Generatio fit ex congreſſu maris & fœminę atque hic ſeſe humana curioſitas valde exercuit ut in

abdita illa naturæ clauſtra penetrarent. Recenſere quaſdam eorum opiniones ſat erit, non decidere: quis enim poſſit? De ſemine multa obſcura, incerta. *An ſemen ab omnibus corporis partibus decidatur* ut *Epicurus* vult. *Laërt.* VII. & X. *Lucret.* IV. vide *Laur.* VIII. Anat. quæſt. 4. *Scal.* Ex. VI. 8. *Taurell.* IV. Alp. q. 3. *Ariſt.* I. de Gen 18. *Heurn.* V. Inſt. Medic. I. ubi Hippocratis ſententiam explicat & quærit cur mutili parentes integros fœtus procreent. *Vallertola* I. L. C. Pythagorëi ſemen dicebant cerebri ſtillam, quæ in ſe calidum contineat vaporem, *Laërt.* VIII.

*An ſemen ſit excrementum inutile?* Si hoc dicis inquit Taurell. VI. q 2. *Credo totam tibi eſſe mentem excrementitiam.* Laurent. VIII. Anat. q. 3. *Semen excrementum dicitur quia ex reliquiis alimenti ultimi generatur.* Sylvat Contrad. Med. VIII. *Semen excrementum abuſive dicitur.* Ita & *Hofman* I. de Gen. Hom. 6.

*An ex ſemine ſolo an etiam ſanguine hominis partes naſcuntur? Hofman* II. de gen. 13. 14. ad 20. ex ſolo ſanguine partes humanas naſci vult: *mas non confert quicquam ad fœtus quantitatem, confert autem ad qualitatem. Platerus* quæſt. 36. Cent. poſth, ex ſolo ſemine.

Me-

Mediam viam tenet *Licetus* de part. Corp. hum cap. 4. ex ſemine maſculo gigni partes ſpermaticas.

*An animal atque adeo homo à ſomno an vigilia vitam ordiatur?* De hoc *Ariſt.* v. gen. Anal. 1. *Keckerm.* Diſput. XVII. Probl. 34. Phyſ. 29. à *Vigilia* vult *Riolanus* VI. Anthrop. 9.

Homo cur *erecta facie* præ reliquis animantibus? *Ovid.* 1. Met. *Boët.* v. de Conſ. *Octavius* apud Minutium, *quibus eſt vultus erectus, quibus ſuſpectus cœlum datus eſt.* Ariſtoteles III. de part. animi 6. Cauſam rejicit in Calorem. & Cap. 5. de animalium inceſſu, *quia homo maxime eſt leipes, maxime erectus eſt.* Vide etiam *Theophilum* Proto ſpatiarum 1. de Fabr. humani corp. 9. *Laurent.* 1. Anat. 2. *Cæl.* Rhod. 11. V. L 11. *Cic.* 1. de Legg. & ibi *Turneb.* *Galenus* hoc non ſatis pie ex piſce ὐρανοσκόπης irridet. *Lactant.* 11. Inſt. 1. ut Deum contemplemur, ex lib. de Ira Dei, 14.

*An ex diverſis ſpeciebus una generari poßit?* *Rodig.* XIII. A. L. 62. recenſet exemplum: *Oppianus* III. Κυνηγ. ad quem locum Ritterſh. De Bucephalo Alexandri, *Gell.* v. 2. De ſemipiſcibus & ſemihominibus in Chaldæa, *Beroſus*

*Heurnius* v. Inſt. 8. poteſtne homo naſci capite vituli? Philoſophi negant, Hiſtorici aſſerunt, quid dicendum? Utrique verum profitentur: Philoſophi: etenim potis non eſt ut homo gerat caput vituli, ita ut edat functiones capitis vitulini. Hiſtorici vero exempla ſpectant. *Volaterranus* LXXIV. refert quandam Romæ in concubitu canis ſemicanem enixam. Sed hoc non naturaliter eveniſſe vult *Donatus* II. Hiſt. Med. I. ubi etiam alia exempla refert. vide *Valleriolam* IV. Obſ. Medic. 2. *Ælianus* XII. 39. Ophiogenes generantur ex Dracone & muliere Ioh. de *Barros* ſcribit Indos ſerio affirmare quoſdam ſuæ gentis è cane & muliere primum natos. *Fiorovanti:* primariam ſtirpem in Italia è piſce & virgine primum veniſſe. In *Anglia* tempore Eliſabethæ, Leo virginem vitiavit ſpectante multo populo. *Catelanus* de Unicornu, cap. 3. In *Suecia* virgo ab Urſo rapta puerum edidit matri forma; pelle patri ſimilem, cui Urſo nomen. Hinc Danorum Regum ſtemma profluere è Saxone, Ioh. *Magnus* XVIII, 52. refert.

*An dentur Satyri?* Negat *Lucret.* IV. & V. *Plinius* V. & *Solin.* 40. Satyris præter figuram nihil moris humani. *Hieronymus:* Antonio Eremitæ viſum homini-

culum

culum naribus aduncis, fronte cornibus aſpera, cujus corporis extrema deſinebant in pedes caprarum, cumque interrogatum quis eſſet? reſpondiſſe, mortalis ſum, unus ex accolis eremi, quos vano errore deluſa gentilitas, faunos Satyros & incubos colit. *Bodinus* 11. Dæmonem. Satyros putat malignos eſſe Spiritus, *Caſaubonus* 11. de Sat. 2. nullos in natura extare aut extitiſſe unquam Satyros; ſed mera delirantium poëtarum primo, deinde & pictorum figmenta eſſe. vide *Camerar*. Cent. 1. Hor. Sub. 71.

*An homo ex terra fortuito generari poſſit?* Hoc præter antiquos affirmarunt etiam recentiores *Avicenna*. *Cæſalpinus* v. quæſt. Perip 1. Hinc αὐτόχθονες de quibus *Iſocr*. Panegyr. & Panathenatico. Refutantur *Lactantius* 11. de falſa Relig. 12. *Euſeb*. 1. Præp. 4. *Cæl*. Rhod. l. 40. *Taurellus Libav*. vii. de Orig. Rerum *Nieremberg* v. Hiſt. Nat. 5. *Zacutus* iv. *Paracelſus* hominem ex quinta elementorum eſſentia non ex vulgari limo creatum vult ſecutus forte Valentinianum qui Adamum factum non ab hac arida terra ſed ab invi ſibili ſubſtantia & ab effuſibili ac fluida materia, *Iren*. l. 1. *Scaliger* Ex. vi. 6. errorem vocat deteſtandum.

Sudoris ſanguinei Exempla, multa profert *Donatus* 1. Hiſt. Med. 2. poſſibilem eſſe probat *Sylvaticus* contr. Med. v. rariſſimum tamen eſſe, quia cauſæ vehementes requiruntur ingens anxietas, ſanguinis rarefactio, cutis laxitas. Sudor Chriſti ſanguineus ſupernaturalem & divinitus immiſſam cauſam habuit ut ibidem probat.

*Hymen* dicitur etiam εὔγιον. *Nævius*: Sine eugio puellam invenit. *Laberius* apud Nonium: æneonem piſcis eugeum ſcindere. *Apuleio* fœminal, *Prudentio*, *Solino*, *Auguſtino* Virginal. *Auguſtin.* 22. C. D. 8 Ieſum per integra virginalia matris enixum, *Rittersh.* ad 1. Cynop. Opp. v. 340.

Signa virginitatis cognoſcere difficile. *Riol.* 11. Anthol. 31. emiſſio ſanguinis non eſt neceſſarium virginitatis ſignum, *Donatus* 4. Hiſt. Med. 15.

Majorem in coitu voluptatem mulier quas vir præcipit. *Tireſias* apud Ovid. 3. Met. Fab. 6. *Juvenal.* Sat. 6.

*Vir nollet fieri, nam quantula noſtra voluptas.*

*Lemnius* 1. O. N. c. 5.

*De Homunculo* Theophraſti, vide l. 3. *Vita longa*, c. 4. & l. 1. de Generat. Rerum naturalium ubi vocat ſecretiſſimum ſecretum & magnale Dei.

An.

*An ſemen à patre abjunctum animatum ſit ſeu vivat?* *Scal.* Ex. 6. S. 2. ſemen eſt animal in potentia propinqua. Vid. S. 5, 7, 8, 9. nobiliſſima eſt diſputatio & primus Scaliger glaciem fregit, *Hoſm.* 11. de Gen. 3, 4, 5, 6, 7. Aff. *Licetus* 111. de vita 19

Cur *vox mutetur* in excisis & venere utentibus? *Hoſm.* de Gen. 20. Catullus:
*Non illam nutrix Orienti luce reviſens*
*Heſterno poterit collum circumdare filo.*

*An ſanguis menſtruus ſit inutilis & noxius?* Neg per ſe: eſt ſemen ſed non purum id eſt non coctum. Ex locis, poſtquam effluxit fit inutile *Hoſmann.* 1. de Gener. 22. Quomodo gemelli & multiplices partus generentur, vide *Laurent.* 8. Hiſt. A. q. 21. Quinque ſimul parere finem eſſe dixit *Ariſtoteles* multi jugem partitionem, *Gell.* 10. 2. Mulier definitum pariendi tempus, vir generandi nullum habet. F. *Platerus* Cent. poſth. quæſt. 38. Exempla mulierum in ſenectute parientium virorũ generantium recenſet M. *Donatus* IV. Hiſt. Med. 14.

De cauſis ſimilitudinis & diſſimilitudinis in fœtu. Vide Diſſertat. Gr. *Horſtii*, Giſſæ 1618. in qto. *Lemn.* IV. O. N. 18. & 1. 4. *Valleriol.* 1. Loc. Com. 17. *Laurent.* 8. Hiſt. A. q. 20. *Hoſm.* IV. de Generat. 12.

An muliebre ſemen in fœtus Conſtitutione opis aliquid afferat? Aff. *Valleriola* 1. L. C. 17. B. *Ronſſeus* l. de hum. vitæ primordio c. 2. *Sylvaticus* Contr. Med. 79. Neg. apud *Cæl. Rhod.* 11. 42.

An ſine ſemine detur conceptus? Exempla refert *Riol.* 11. Anthrop. 31. Sed hoc difficilius creditur imo figmenta mera vocat, *Zacut.* 111 Hiſt. Med. p. 170. *Lemnius* 1. O. N. 8. agnoſcit ſpurium conceptum ſine virili ſemine, ex imaginatione.

De *pica* mulierum & cauſa ejus. Vide *Sennert.* 111. Med. Pract. part. 1. Sect. 2. cap. 5. Exempla apud *Donatum* IV. de Med. Hiſt. 1. ubi refert etiam fœminas quaſdam humanis carnibus nõ abſtinere. Cauſa eſt occultaqualitas. *Mercurialis* affectus præter naturalis *Dominicus* de arte Medendi p. 819, 820. pravi humores inVentriculoR. à *Fonſeca* Conſult. 94. *Zacutus* 111. Hiſt. Mod. p. 296: vit vitium cerebri *Ioh. Matthæus* quæſt. Medic p. 184. Langius 11. Epiſt. 12. detentus ſanguis menſtruus Lang. 2. Ep 12qui pica laborant Contraria humori inVentriculo latentia appetunt ut ſi excrementum ſit humidum appetunt Carbones & ſimilia exiccantia. *Maſſaria* 111. Med. pract. 8:

De

De infantum recens natorum *galea* ſuperſtitio eſt ea aliquid portendi Olim Advocatos adjutos putabant ut eſt apud *Lampridium* in Antonino *Lem.* 11. O. N. 8.

An *mamillæ virginum lac* habeant? Aff. *Sennert.* IV. Med. Pract. part. 11. Sect 2. c. 3. fæminas non gravidas lac in mammis habere poſſe c. I. 3. 1. etiam virgines: etiam viros *Dodonæus* obſerv. Medic. p. 271 *Donatus* 6. Hiſt. Med. 2.

*R.* à *Caſtro* IV. de Natura mulierum Cap. 10.

Negat. Joh. *Matthæus* quæſt. Medicin. 14.

Diſtinguunt inter verum lac & ſuccum lacteum qui interdum in viris & virginibus generetur.

*Hofmi* IV. de gen. hom. 9; generant mammæ viriles lac ſecundum naturam? non dices niſi forti fabulis ex novo orbe allatis delecteris Hoſpes meus Altorfi A. 1638. narravit mihi tantam ſibi Copiam lactis natam ut emulgendum fuerit

Quanta ſit imaginationis vis & efficacia *Camerar.* Cent. 1 54.

De Lunaticis *Valleſ.* Phyſ. S. 71.

Cap.

## CAP. II.

### *De hominis generatione.*

NIhil admirabilius eſt quam humani *fœtus in* utero Conſtitutio & nihil primæ mundi Conſtitutioni tam ſimillimum. *Licetus* 1. de perf Conſtitut. hom. in utero. præfat. Bald. *Ronſeus* de humanæ vitæ primordio. præfat. Idem Cap. 1. Novem ſunt principia humanam naturam in utero promoventia Deus, mentes infra Deum ſupernas ſphæras circũ volventes cœleſtes globi, parentum imaginatio, eorundem anima tota, maternus uterus, ſanguis muliebris, fæmineum ſperma & virile ſemen. Hebræi obſervant tres concurrere ad creationem hominis, patrem, matrem & Deum, Deus infundit animã & eãdem morte iterũ aufert. Druſ. ad Geneſ. Cap. 13. Iſid. *Peluſ.* 1. ep. 219. κόσμος συντομος ἐστι ὁ ἄνθρωπος Humanæ ſpeciei laus exquiſita ab ingenii memoriæ vaticiniorum & locutionis poteſtate *Cæl.* 11. 3. 12.

Sunt tamen qui hominem criminantur. Plin. VII. Procem. non eſſe ſatis æſtimare ſcribit an natura homini melior parens an triſtior noverca fuerit.

Et

Et hoc probat malorum Commemoratione quæ hominem Comitantur. Hoc tanquam ab Epicureis Traditum refert & refutat *Lactant.* 1. de opif. Dei. Cap. 3. *Cæl. Rod.* 11. 10. *A. Laur.* l. Hiſt. Anat. 3. 4. Georg. *Queccius* Med. Doct. Norib. de nobil. & præſt. hominis contra iniquos conditionis humanæ æſtimatores.

*Utrum ad hominis generationem influentiæ Cœleſtes generentur?* Hanc quæſtionem tractat *C. Hofm.* l. de gen Hom. x1. & dicit Calorē Solis tantū cauſam communem eſſe in generatione hominis, contra in imperfectis. Obj. 2 Phyſ. 2 l. 26. homo generat hominem & Sol. Reſpondet dicere poſſum legendum eſſe ἄνθρωπος γὰρ ἄνθρωπον γεννᾷ ἐν ὕλῃ ἰδος Ita enim Accorambonus invenit in antiquiſſimo Codice Mſſ. *Licetus.* 111. de vita 44. Deum Opt. Max. appellat quandoque Ariſtoteles nomine Solis, inquiens, homo hominem generat ex materia & Sol.

An *Fæmina viro imperfectior?* Aff. *Conſtantinus Varolius in* Anatom. p. 89. Mulier ut Commode à viro pateretur, opus fuit eam longe eſſe imperfectiorem: ex ratione enim materiæ eſt, ut reſpectu agentis imperfecta ſit, cum ab æquali nulla actio proveniat. Quare qualitate & gradu caloris innati

ti mulier eſt valde remiſſior viro. *Hofm.* l. de gen. hom. 3. licet fæmina ſit frigidior ideoque imperfectior viro: tamen imperfectio illa magni uſus, imo fæminæ perfectio Conſiſtit in illa imperfectione. Negat *Roder.* *á* Caſtro III de Nat. Mulierum 8. quia eadem membra ejuſdem perfectionis eaſdem Animi Operationes habet ac vir propagationis ergo Conjuncta eſt.

An *mulieres ſemen emittant?* Negant *Ariſtotelici* Aff. *Hippocrates, Galenus.* vide *Laur.* 8. Hiſt. Anat. quæſt. 5. *Lemnium* l. de Occ. Nat. 5. *Smet.* Miſcell lib. 8. *Goclen.* A nat. Ex. 6. *Scalig.* Rod. à *Caſtro* II. Natur. mulierum Cap. 3. quia diſſectis fæminis, ſæpe vaſa ſemine Craſſo & albo referta reperiuntur. Hoc *Hofmannus* l. de gen. hom. 5. tantum in viraginibus & laborioſis mulieribus qui Calore abundant evenire dicit.

Ex loco *Levit.* 8. 1. *Druſius.* probat productis Rabbinorum teſtimoniis. Nam mulier dicitur dare ſemen. Ergo habet. Caſper *Hofmann.* l. de gen. hom. 5. Ego non poſſum mihi aliterq; perſuadere quam ſanguinem menſtruum eſſe ſemen fæmineum & IV. 2. habent fæminæ quædam ſemen Sed ἄγονον. &

l. 22.

l. 22. In duobus differt ſemen maſculum à fæmineo.

Semen virile Ariſtotele autore nanciſci ultimum ſui Complementum in teſtibus maſculeis probat contra Calumnias tecentiorum *Licetus de* perfecta conſtitut. hominis in utero Cap. 3. *Hofm.* 1. de gen. hom.

An *omnes partes ſimul Conformentur?* Aff. *Laur.* 8. Hiſt. A. q. 15. Negat *Hofm.* 2. de gen. 23.

An *fæminæ viris Calidiores?* Vide *Laur.* 8. Hiſt. A. q. 2. *Zacut* 11. Med. Hiſt. p. 1191. mulier calidior viro κατά τι quia plus ſanguinis habet non quoad Omnes partes. Rod. *à Caſtro* 11. de Natura mul. 13. nihil prohibet fæminam aliquam aliquo viro fieri Calidiorem. Mas calidior fæmina *Hoſ.* l. de gen. hom. 3. 4.

An *hymen reperiatur & de* notis virginitatis? Non datur hymen *Laurent.* VII. Hiſt. Anim. q. 13. ibidem, quare in Coitu ſanguis effluat. vide etiam *Valleſium* c. 25. Sacræ Philoſ. Non datur hymen in omnibus. *Donatus.* 4 Hiſt. Med. 15.

Datur *Riolan.* 11. Anthrop. 31 *Spigel* VIII. Anat. 9. Hymen in omnibus quas ſecui, deprehendi nec de fuiſſe unquam, niſi vitio vel morbo diſputat *Senn.* XV.

IV. Med. pract. part II. ſect. II I. Cap. I.

Fœtus *octimeſtris* raro vitalis eſt Tali Cæſonii *Plin.* 7. 5. *Matth.* quæſt. med. 88. *Donatus* IV. Hiſt 13 partus. *Serotini* exempla apud *Schenck.* IV. obſ. 154. Naſcuntur homines 7. 8. 9. 10. 11. menſe *Gell.* 3. 16. etiam 13. *Plin.* 7.

An *mulieres ſint homines? Cuiacius hujus* opinionis quod mulieres non ſint homines autor eſſe creditur *Keck.* 4. Phyſ. 9. Bruta potius quam homines ſunt qui negant *Rod. à* Caſtro 3. de Natura mul. 8.

An ex doctrina Ariſtotelis *fœmina ſit monſtrum?* Neg. *Keck* 5. Phyſ. 3. *Hofm.* I. de generat. 3. Vide affannias eorum qui nolunt concedere fœminas dici imperfectas.

*Sermo an naturalis? Cœl.* 16. 14. *Huart.* 7. Scrut. Ing. phrenitici illud latine loqui abſque prævia linguæ latinæ cognitione oſtendit latinitatis cum anima rationali conſonantiam. Infans gradiens & loquens natus apud *Donatum* II. Hiſt. Med. 13.

CAP.

## CAP. III.

## *De ætate hominis.*

SEnes ſunt πολιοκρόταφοι quia exiguum calorem habent. *Cæl.* 7. 48. 49. Senium non eſt aliud niſi magnum in corpore ſiccitatis dominium *Rhaſes ad* Almanſ. tract. 2. c. 15.

An *ſenes poſſint rejuveneſcere* Aff. *Diod.* l. Pant. 8. Exempla refert *Nierenberg.* 8. Hiſt. Nat. 9. *Voſſ* Cicogn. IV. H. Nat. c. 7. *Donatus* IV. Hiſt. Med. 14. de fonte in inſula Bonica *Martyr* .I. 10. plures ſenes in ſeptentrione quam meridie *Keck.* 3. Phyſ. XI. *Camerarius* Cent. II. c. 68.

Cur *primi ſe culi homines tam longævi?* *Keck.* 3. Phyſ. 10. *Titelm.* 6. Phyſ. 22. *Diodat.* l. Panthol C. 6. *Joſeph* l. Ant. 1. *cæl.* XI. 37. quia vino & carnibus abſtinebant. *Quercetan.* Polyhiſt. ſect. 1. c. 13. *R Levi* hoc opus providentiæ non naturæ appellat *Genebrand.* I. *Chronol.* Solon humanæ vitæ terminum ſtatuit annos Septuaginta. *Laërt.* I. Gorgias Leontinus. centum viginti annos vixit *Quintil.* III. Inf. I.

Cur *olim gigantes?* ab humoris copia *Riol.* I, de Phyſ. princ. 3.

Cur

Cur *ſenes prudentiores?* Salluſt. *Catil.* corpus annis infirmum ingenium ſapientia validum *Apul. de* Deo Socratis de Neſtore: Cur omnes ſciebant corpus annis hebeſcere, animum prudentia vigere. Unde morituri vaticinantur *Plato in* Apol. Socratis. Cunæus 3. de Rep. Hebr. 4. Animæ defunctorum vaticinari ſolent. *Gell.* 10. 16.

Lacrimari proprium homini. *Iuvenal. Sat.* XV.

*mollisſima corda*
*Humano generi dare ſe natura fatetur*
*Quæ lacrymas dedit, hæc noſtri pars optima ſenſus,*

Brutis tamen etiam lacrymæ & riſus tribuuntur. Hinc Crocodili lacrymæ. *Virgil.* 9. de Pallante equo.

*Ita lacrimans guttiſque humectat grandibus ora.*

De flut. biſtartave *Camerar. Cent.* 1. 29. 11. 26. Crocodili lacrymæ ficticiæ ſunt & nugatoriæ. G. *Sionita in* Arabia c. 9.

*Mæus* avis riſum humanum ad miraculum imitatur. *Crollius* de ſignaturis internis p. 62. Pſittacus quoque. *Petrarcha* 1. de Remedio 64. *Lactantius* l. de Ira Dei c. 7. Riſus eſt homini proprius & tamen videmus in aliis animantibus Si-

gna

gna quædam lætitiæ. Exempla eorum qui nunquam riſerunt. *Cæl.* x. 66.

Saturninus filius Imp. Philippi nunquam riſit.

An *Gigantes ſint monſtra?* Neg. *Keck.* 5. Phyſ. 3.

Exempla *gigantum* apud *Camerar.* Cent. 1. 82. *Gell.* 3. 10. *Solin.* c. 3. *Plin.* 7. 16. *Ionſton.* Conſt. Naturæ p. 46. 51. *Auguſtin.* xv. C. D. 9. *Amgr.* Jonas in Iſlandia c. 4. Circa A. 1483 mortuus eſt Gigas Aleppi in Syria longus duas ulnas & ibi ſplendide ſepultus, *Ghiſtel.* vi. Itiner. 21. de Og Regis Baſan prodigioſa magnitudine ex Talmudicis Hieron. de *ſancta* fide in Hebræo maſt. lib. 2. c. 5. Sub *Ioh.* 1. Com. Hollandiæ fuit Nicolaus Kieten gigas, cujus calceus quatuor aliorum pedes capiebat. Reſp. Holland. p. 393.

De miro robore Titormi, *Cæl.* xi. 10. Polydamantis *Cæl.* 7. 37.

An *ſint pygmæi, Tritones Chimæræ. Nereides, Sirenes, Nierenberg* l. Hiſt. Nat. lxi. 12. 14. 15. 16.

De *Pygmæis* integrum tractatum ſcripſit *Bartholinus* Non ſunt monſtra ſed homines *Barth.* c. 7 *Keck.* v. Phyſ. 3 de pugna Gruum & pygmæorum. *Ariſtot.* 8. Hiſt.

8. Hiſt. Animal. 12. *Plin.* 4. XI. *Gell.* 9. 4.

An *mulierum genitalia ſolo ſitu à virilibus* differant & fæminæ in mares converti poſſint *Laurent.* VII. Hiſt. Animal. 9. 8. ubi prius negat poſterius rarum & portentoſum eſſe vult. Idem *Riol.* II. Anth. 30. impoſſibile Contendo perfectam mulierem in virum degenerare. Aff. *Zacutus* III. de Praxi Admirab. obſ. 92. & III. Med. Hiſt. p. 123. *Gellius* 9. ex Plinio *Ovid.* IV. Metam.

*Ambiguus fuerit modo vir modo fæmina Sython.*

Sexus mutati exempla *Lang.* I. Ep. 10. *Cicogne* IV. Th. Nat. 5. *Donatus* VI. Hiſt. Med. 2 *Keck.* Phyſ. 5. 3. viri facti ſunt fæminæ.

*Zacutus* III. Med, Hiſt. p. 126. viros in fæminas verti fabuloſum. Rod. à *Caſtro* l. de Natura mulier. 3. ſexum interdum detegi potius quam mutari Crediderim. De Cæneo *Ovid.* Met. 12. Maſculo-fæminas vocat Irenæus II.

*Huartus* c. 18. Scrutin. Ingeniorum affirmat & tot Hiſtoricis ac exemplis credi Vult.

CAP.

# Cap. IV.

## *De Anima humano.*

ALfonſus Rex Neapolis maximum immortalitatis animæ argumentum ſibi videri dixit quod corpora decreſerent, animus creſeret. *Panormitanus* 11. de rebus Alfonſi.

*Pythagoras* partem animæ prudentiæ capacem eſſe immortalem Cetera mortalia. *Laërt.* 8. Anima & mens idem ſunt. *Parmenides* & *Democritus* apud Laërt. 9. Non eſt idem mens & anima. Aliud eſt quo vivimus aliud quo cogitamus. Dormientium mens non anima ſopitur, & in furioſis mens extinguitur, anima manet. *Lactant.* de opificiis Dei cap. 18. VII. Inſtit. 12. Animam & animum non eſſe aliud *Tertull.* l. de Anima c 5 *Quint.* v. 14. Anima immortalis eſt. Nam quicquid per ſe & ex ſeipſo movetur immortale eſt. Quidã judæi credunt animas impiorum cum corpore extingui *Kimchi* in pſ. *Druſ.* 11. de ſecti 14. Mens in quâ *conſilium vitæ regimenque locatum eſt Lucret.* 3. quid ſit imperceptibile eſt. *Lactant:* de opif. Dei. 16. 17. Mens omnem rerum ſcientiam in ſe Complectitur ſed mo-

mole Corporis impeditur. *Lemm.* 11 O.N. 2. Idem *Platonici* qui dicebant diſcere nihil aliud eſſe quam reminiſci *Auguſt.* 1. Retractat. 8. *Octavius* apud Minutium: homines natura adepti ſunt Sapientiam. Ingenium non paratur ſtudio, ſed cum ipſa mentis formatione generatur.

Homo Conſtatex anima intelligente Spiritu naturali & corpore elementari. 5: 23. *Irenæus* v. 12. Homo Conſtat ex carne, anima & ſpiritu.

Animæ corpore exutæ non recordantur eorum quæ in vita acta ſunt. *Licetus* de vita 27. quia recordatio ſubjacet tempori: at mens à corpore ſeparata omnia ſua munia momento edit. & 111. *de vita* 21 Recordatio tantum eſt ſingularium. Animà intellectiva tantum ſunt in ſpecies Communes.

Sedes animæ in vertice capitis. *Xenocrates.* circa cerebri fundamentum Herophilus In ſuperciliorum meditullio *ſtrato.* in membranulâ cerebri Eraſiſtratus in toto pectore & *quidam* hæretici *Helmont* 1: Sedes animi eſt jus duum viratus In toto corpore *aliis.* In Corde *Ariſtoteles*: in cerebro *Galenus.*

Natura ſtolidi in alpibus Rhæticis dantur. *Heremita* Epiſt. de helvet. moribus.

Ta-

talis jam olim fuit quidam *Cugeba* unde Proverbium. *Neninas Cugeba Meyta.* Reſpubl. *Boeri.* cap. 2.

*Toſtatus* anno vigeſimo ſecundo ætatis omnium ferè artium ſcientiam habuit, ob quod dictum:

*Hic ſtupor eſt mundi, hic ſcibile diſcutit omne.*

Lutetiæ anno 1445. adoleſcens viginti annorum fuit qui omnia tenuit, unde *Antichriſtus* à Diabolo genitus putabatur. *Ionſton.* Nat. Conſt. Apollonius *Tyanæus* jactabat ſibi omnium rerum & linguarum ſcientiam à natura ineſſe *Euſeb.* Hiero.

Animæ immortalitas apud omnes fere populos credita atque hinc virtutis ſtudium. *Lactant. V.* Inſt. 19. Si poſt mortem nihil ſumus profecto ſtultiſſimum eſt homines non huic vitæ Conſulere.

## CAP. V.

## *De Phantaſia.*

STOICI putabant imagines tenuiſſimas mitti à rebus. *Lucret. IV. Laërt. VII.*

Phantaſiæ magna vis in fœtum. *Zacut.* III. Med. Hiſt. p. 208. Piſis mulier puellam edidit camelorum pilis refertam

 quia

quià imago Joh. Baptiſtæ ei ante oculos fuerat. *Laurent*. 8. Hiſt. Anal. q. 14. Lacones pictos juvenes formoſos in conſpectu mulierum ponebant. Oppian. 1. Cyneg. Vid. *Donat*. 11. Hiſt. Med. 1. *Horſt*. VII.3. Supplementi ad Donatum de monſtroſis imaginationibus. Stroſſ. Ciogna part. 1. Theatr. Nat. l. 3. c. 8. *Zacutus* 1.Prax. Admir. obſ.44. *Quercitan*. 1. Polyhiſt. 9. *Cæl*. IX. 26. 27.

De Mileſiis virginibus *Gell*.15.10 Nebucadnezar laboravit melancholia brutali *Valleſ*.S. Phil.80. fuit obſeſſus à dæmone *Hieron*. & *Epiphanius* Melancholia eſt πάθος ἡρωικόν. *Gell*. 18. 7. De ecſtaſi *Cardan* 8. & rerum variet. 43. Quidam cadaverum expreſſere pallorem & contra verbera experimenta dolorum, mortium pertulere patientiam. *Quintil*. Declam. 11.

Cur nonnulli quædam perferre non poſſunt ſed ad conſpectum eorum inhorreſcant? vide *Kek*. Diſput. 16. profl. 34. *Eraſtum* cap. 42. de occult. medic. propriet. apud *Smetium* 2. Miſcell.

## CAP. VI.

## *De Memoria*.

CLemens VI. P. M. quicquid ſemel legerat, nunquam obliviſcebatur. Hæc

Hæc enim memoria magno quodã capitis ictu provenit. *Petrarch.* 12. memorabilium cap. 1. plura ſtupendæ memoriæ exempla apud *Nigren*, Orat 25 Cur ſenes obliviosi? quia ea vis animi multitudine rerum obruitur. *Eraſm.* Eccleſiaſtæ lib. 3. *Pythagoras* & vivus & mortuus omnium memoriam habebat. *Laërt.* 8. de juvene Corſo *Muret.* 3. Var. Homines ſupra modum memorioſi, intellectu bardi & tantum non furioſi ſunt. *Huartus* cap. 1. ſcrut. hiſtor. *Caſſiodor.* V. Variar. ep. 22. Magnum beneficium oblivionis neſcire defectum & quædam ſimilitudo cœleſtium eſt, dccurſa ſemper habere præſentia. Bruta quoque memoriam habent. *Quintil.* XI. Inſt. 2. Inſt. 2. *Virgil.* 3. Georg. *atque ipſæ memores redeunt ad tecta Capellæ* quem verſum laudat *Auguſtin.* l. de Muſica. c. 4. *Argus* canis Ulyſſen poſt viginti annos agnovit. *Homodύσ* 17. Nulli præter hominem memoria major. *Plin.* 7. 34. l. 8. 40. Natura tenaciſſimi ſumus eorum quæ rudibus annis percipimus *Quintil.* 1. Inſt. 1. Thraces quidam vix quatuor numerare poterant. *Ariſtot.* ſect. 15. probl. 3. Idem *Americani* quidam teſte Columbo. Memoria optima & judicium ſimul conſiſtere poſſunt, *Nigrenius* Orat. 25. non poſſunt.

*Huartus* Scrut. cap. 1. Exempla artificalis memoriæ. *Nigren.* Orat. 25. *Simonides* primus invenit. *Quintil.* XI. Inſt. 2. *Seneca* OEdipode.

*Sæpe jam ſpatio obrutam*
*Levis exoletam memoriam revocat nota.*

*Cyrus* omnium militum nomina tenuit. *Quintil.* XI. Inſt. 2. peſte memoria extincta. *Lucret.* VI *Thucyd.* II. *Atticus* Herodis filius nullam prorſus memoriam habuit. *Cæl* XI. 10. Exempla & amiſſæ memoriæ *Plin.* VII. *Val. Max.* I. cap. ult. *Dodonæus* Medic. obſerv. 47. *Meſſala* Corvinus *Solin.* cap. 5. *Euſeb.* Chronico. *Didymus* Alexandrinus.

## CAP. VII.

## *De Vita & Morte.*

MOrte vicinos pupillas & imagines in oculis ante triduum non habere creditur. *Everh.* vau *Weihe* de ſpeculo ſect. 73. *Capitolinus* in *Pertinace:* Signa interitus hæc fuere: ea die qua occiſus eſt, negabant in oculis ejus pupillas cum imaginibus quas oculi reddunt ſpectantibus, viſas. Calor innatus non eſt elementaris. *Plater.* Cent. poſth. q. 19. Sed cæleſtis. *Valleriola* I. Loc. Comm. c. 15. *Za-*

*Zacut.* II. Med. Hiſt. q. 37. Augetur calore animalculorum, puellarum. *Lemn.* II. O. N. 13. Spiritus non aluntur aëre ſed refocillantur. *Licetus* III. & vita 20. *Spigel.* Anat. IX. 10. aluntur aëre *Valleriola* II. L. C. 2. nutriantur. *Donatus* IV. Hiſt. Med. 12.

*An vita poſſit prolongari?* poteſt, ſed mors non poteſt vitari. *Sacutus* IV. Med. Hiſt. p. 684. 702. *Keck.* 3. Phyſ. 10. *Plater.* Cent. poſth. q. 19. *Lang.* I. Ep. 79. *Deodatus* I. Panthei 3. *Licetus* II. de vita XI *Marcus* Gallus Carol. V. medicus vino quodam ſublimato uſus vixit annos 129. *Rantſov.* & conſerv. valit. c. 29. Mortem eſſe ψυχῆς καὶ σώματος διάλυσιν *Gell.* 2. 8. Moriens *quando* moriatur? *Gell.* 6. 13. Non vivere hominem ultra centeſimum annum defectu cordis putabant Ægyptii quod fabuloſum *Riol.* 3. Antho. 12.

*An tres ſint Spiritus*, vitalis, animalis, naturalis? Aff. *Plater* Cent. poſth. q. 20: *Sennert.* 8. Phiſ. 2. *Laurent.* VI. Hiſt. Anat. 22. *Lemnius* I. O. N. 2. *Hofm.* de uſu cerebri c. 10. Recte docent Philoſophi unum tantum eſſe Spiritum qui tamen inſerviat pluribus actionibus inſtar mallei. Recte etiam docent medici triplicem eſt Spiritum pro numero partiũ principum.

Mortem non recte dici naturalem *Lemn.* II. O. N. 16. recte dicitur naturalis. *Gell.* 13. 1. Cœl. XI. 38. *Salluſt.* fragment. vita & mors jura naturæ ſunt.

Poteſt vita abſque reſpiratione conſiſtere. Joh. *Matth.* quæſt. med. 5. *Donatus* IV. Med. Hiſt. XI. poteſt reſpiratio diutiſſime imo tota vita cohiberi *Lemn.* II. O. N. 5. *Licitus* III. & vita 21. *Laurent.* IX. Hiſt. Anat. q. 19. 20.

Foetus in utero tranſpirat non reſpirat *Lau*. 8. Hiſt. Anal. q. 26.

An *animæ defunctorum evocari* poſſint? Aff. *Agrippa* de vanit. ſcient. c. 45. Neg. *Stroſſius* Cicogn. IV. Theatr. N. 2 Vocatur *Necromantia* cujus periti Ægyptii. *Apul.* 2. Theſſalæ *Lucan.* 9. poteſt anima defunctorum iterum aſſumere corpus & æquivoce vivere. *Licitus* II. de vita 24. An *Samuel à Pythoniſſa* evocatus? Aff. *Valleſ.* cap. 33. Phil. S. *Del Rio* II. diſq. mag. 4. c. Negant *Theolog.* Orthodoxi, *Piſcator* in 1 Sam. 28. *Lavaterus* part. 3. de Spectris c. 7. *Godelman.* I. de Magia c. 4. ſect. 12. *Appion* Grammaticus gloriatur apud Plinium 30. 1. Se Homeri manes evocaſſe ut ejus patriam exploraret. Apollonius *Tyaneus* evocavit manes Achillis. *Euſeb.* contra Hieroclem lib. 4.

Puta-

Putabant antiqui animas poſt mortem videri poſſe. *Livius* I. de Romulo. *Seneca* in Apocolocynth, de Claudio. Ita Eremita *Camaldunenſis* aſſeruit ſe animam Pii II. Papæ in cœlum efferri vidiſſe, *Bernardinus* Senenſis animam S. Daniæ aviæ ſuæ in cœlum aſcendentem ſe vidiſſe jactabat quam tabulam Fr. *Coſterus* ſuo libello Cabinet der gebeden inſeruit.

## CAP. VIII.

## *De Anatomia.*

ANatomia eſt illa *feneſtra* quam Momus in corpore humano deſiderabat. *Riol.* I. Anat. 1. In tribus homines non poſſunt concordare in *Anatomia*, *Chronologia* & *Botanica:* Joach. *Camerar.* in Chronol. Nicephori. Inventa eſt ab *Alomæone* & deſcripta à Diocle. *Gal.* II. de Anat. adminiſtr. apud Ægyptios antiquiſſima fuit. *Gell.* 10. 10.

## CAP. IX.

## *De Medicina.*

A*Sclepiades* hominem cui jam funus erat paratum, cum animadvertiſ-

 ſet

ſet in eo latentem adhuc vitam, luci reſtituit. *Apul.* Florid. 19. *Apollonius* Tyanæus mortuum ſuſcitavit. *Euſeb.* contra Hieroclem. Medicina ex obſervatione Salubrium & his contrariorum reperta eſt. *Quintil.*II. Inſt. 18. An aliquibus *vis ſanandi* ſit inſita? Aff. *Zacutus* luſit. 3. de Med. Hiſt. p. 318. ex *Plinio* 7. 2. Æliano 15. Hiſt. Anim. 27. 28. *Delrio* diſquit. Magib. I.c.3. q 4. Pol. *Virgil.* 8. Hiſt. Angl. ſolebat *Edoardus* Rex Angliæ ſolo tactu *ſtrumoſos* mirificè ſanare.

*Medici an Juriſconſulti præcedere* debeant? *Juriſconſulti:* quia fur præit, Carnifex ſequitur. Corn. *Agripp.* de van. ſcient cap. 81. *Valleſ.* Phil. Sacra ad locum Syracidis: Honora Medicum: ſicut morbus ita etiam ſanitas Communicari poteſt *Zacutus* II. Med. Hiſt. dubio 40. p. 615. *Valleſ.* Phil. S. c. 29. & 35.

## CAP. X.

## *De Angelis.*

ANgeli per *lucem* ſignificantur *Gen.* I. *Auguſtinus* creati ante Mundum. *Hieron. Nazianz. Ambroſ.* cum mundo. *Auguſtin.*

Die ſecunda, ſaltem ante tertiam. *Piſcator* in Gen. Loquuntur & Canunt. *Scult*

*Scult*. Delit. Euang. 17. Non opus habent loquella *Licetus* 3. de vita 41. Quomodo loquantur. *I. Mart*. Ex. 3. Meth. th. 4. Th. N. 6.

Sunt corporei. *Apulejus, Origenes, Platonici*, *Auguſtin*. 3. de Trin. 1. videtur iis corpora concedere Spiritualia Tertullian. I. de Carne Chriſti corpora proprii generis *Apulejus* de Deo Socratis; corpora aëria *Alb. M.* ni 2. Sent. diſſ. 8. art. I. dubitat. An cuique homini & regioni *angelus cuſtos* præpoſitus? Aff. *Platonici* & alii ſed incertum an perpetuo tales præſides adſint, an pro tempore quo inſtant pericula deſtinentur. *Hyper*. 2. Meth.

## Cap. XI.

## *De Dæmonibus.*

An *Dæmones* cum hominibus congrediantur & ex illo congreſſu homines generentur? Aff. *Valleſ*. Phil. S. c. 8.

An *umbræ Dæmones, lemures, vocem* edere poſſint? Neg. Sed tantum *Sonum* *Plut*. Coriolano? *Schoock*. de Natura ſoni & vocis cap. 1. *Sen*. Troad. de Achillis umbra

*Implevit omne littus irati Sonus.*
Novi puellam obſeſſam à Dæmone quæ lingua Polonica loquebatur quam nunquam didicerat. *Simon Pauli* in Domin. Oculi.

An *dæmones è corporibus obſeſſorum ejici* poſſint? Aff. *Thyræus* de dæmoniacis cap. 33. 34. 35. Exempla apud *Hondorf.* ad præcept. 2. Sed non poſſunt ejici remediis prorſus naturalibus *Thyr.* c. 48. de Salomone quod refert *Ioſeph.* 8. Ant. 2. fabuloſum eſt. Non eſt fabuloſum *Huart.* c. 10. Scrut. Ingen. De Lapponum dæmonomagia *Munſt.* IV. Coſm. 33.

Utrum *Chriſtus revera an in viſione à Diabolo* tentatus? In viſione. *Scult.* Delic. Euangel. cap. 29. Tentatio Chriſti à ſtella Magorum exorta *Paracelſus* IV. Philoſ. Sag. 12.

An *Dæmones poſſint mortuos* ſuſcitare? Neque *Cicogna* 4. Theatr. Nat. 7. ubi multis exemplis probat cadaver demortui ingredi dæmonem & illud circumportare.

An *Diabolus ſpecie fidelis hominis alicui apparere* poſſit? Aff. *Lavat.* parte 2. de ſpectris 9. 17. Exempla apud *Hondorf.* proc. 2.

Quid de *Spiritibus familiaribus* ſentiendum. Græcis dæmones πάρεδροι dicun-

cuntur. Ita *Apulejus* Deum ſive Spiritum Socratis vocat familiarem. *Plaut.* Aulul. Ego *lar* ſum familiaris. *Horat.* 2. ep. 2.

*Scit genius natale comes qui temperat*
*aſtrum*
*Naturæ Deus humanæ, mortalis in*
*unum*
*Quodque caput, mutabilis albus &*
*ater.*

*Minutius* in octavio *aſſidentem dæmonem* vocat. Juſt. Apolog. καὶ οἱ λεγόμενοι τοῖς μάγοις ὀνειροπομποι καὶ πάρεδροι. *Epiphan.* hæreſ. 27. Exempla apud *Cicognam* IV. Th. N. 3. Talem habuit Socrates. *Apul.* de Deo *Socr. Lactant.* 2. Inſt. 15. *Simon* Magus *Euſeb.* 2. Hiſt. Eccl. 13. *Apollonius* Tyaneus. Facius *Cardanus* Hieronimi pater 16. de Variet. 93. de *Angelo cuſtode* vide *Biel.* in 2. Sent diſt. XI. q. unica. Spectra mediâ nocte apparent & ad Solis ortum evaneſcunt *Virgil.* V. Æn. de ſpectro Anchiſæ.

*Jamque vale, torquet modios nox humida curſus.*
*Et me ſævus equis oriens afflavit anhelis.*

*Claud.* de Bello Gildon. *Dixit & afflatus*

*vicino ſole refugit*. Dantur Spectra, *Sunt aliquid manes letum non omnia finit*. Sæpe malitioſi ſpectra fingunt & ſimulant *Laval.* part. 1. c. 5. 6. 7. *Euphormio* part. 1. Satyr. *Eraſmus* Colloquio Exorciſta ſæpe cauſæ naturales pro ſpectris habentur *Auth.* citati.

## CAP. XII.

PRinceps Dæmoniorum *Lucifer* appellatur ex male intellecto loco *Eſa.* 14. *Danæus* ad cap. 28. Enchirid. ad Laurent. *Beza* ad Matth. 25. v. 41. & in 2 Pet. 2. 4. *Dæmonis* nomen antiquis honeſtum, nobis non item. *Cæl.* 1. 23. Animus humanus etiam dæmon dicitur *Cæl.* 1. 30. ex Apulejo. Dæmones ubique enim in aëre, aqua, terra. *Lang.* 2. ep. 35. *Luther.* in Colloquiis. Dæmunculi ſubterranei metallici *Munſter.* I. Coſm. 25. Habent corpora tenuia. *Cæl.* 1. 26. Apparent forma deterrima & non naturaliter progrediuntur ſed inſtar naviculæ propelluntur. *Camerar.* Cent. 2. 15.

Unde dii abeuntes cognoſcebantur. *Virg.* 1. Æn. Porphyr. apud Euſeb. 5. πρόπ. 1.

*Et vera inceſſu patuit Dea.*

Quomodo futura prædicere queant? *Cæl.*

*Cæl.* 1. 33 38. *Lavater* part. 2. 8. An *divitias dare* poſſint ? Neg. *Cæl.* 1. 34. *Keck.* 6. Phil. 4. Sunt pauperes. *Zimara* tract. Mag. c. 12. Aff. *Siroſſ.* Cicogna 3. Th. N. VI. quis venas metallicas poſſident & *theſauros* Antichriſto aſſervant.

An *corpora obſeſſa revera* ingrediantur? Aff. *Cæl.* 1. 34. *Thyræus* 1. de Dæmoniacis 4. Non ſcrupuloſe inquirendum ſubſtantialiter ingrediantur an tantum effectu malitiæ. *Hyper.* 2. Meth. p. 299. aliquando ex ventre loquuntur unde ἐγγαστρίμυθοι dicuntur. *Camer.* 3. Cent. 71. *Cæl.* 5. 10. Sed hoc fit fraudulenter *Riol.* 2. Anthrop. XI.

An *aliena lingua loqui* ſit ſignum Dæmoniaci ? Neg. *Riol.* 1. de abd. cauſ. XI. & dicit interdu in ab atra bile provenire Idem *Lemnius* 2. O. N. 2. Melancholicos & maniacos linguas quas non didicerint perſonare, non tamen eſſe Dæmoniacos. *Huart.* 7. Scrut. Aff- *Sennert.* 1. Med. pr. parte 2. c. 16. *Thyræus* c. 24. de Dæmon.

Poſſunt morbos infligere. *Senn.* 6. Med. pract. part. 9. c. 5. *Donatus* 2. Med. Hiſt. 3. *Dodon.* obſerv. c. 8. *Lang.* 1. ep. 28. *Lactant.* 2. Inſt. 15. *Cyprian.* de idol. vanit. *Minutius* Octavio. Corpora violenter transferre. Exempla apud *Cicognam* Th. N. 3. 4. mala hominibus infligere,

fligere, *Cicogna* 3. 5. *Camer.* 1. Cent. de præſtigiis eorum admirabilibus *Camer.* 1. Cent. 70. 72. 73.

An *Poſſint coire & generare?* Aff. *Cicogna* 3. Th. 3. *Zimara* tractat. Magico c. 14. *Del Rio* 1. Diſquit. Mag. 2. 4. 15. Neg. *Valleſ.* 8. S. *Phil. Ronſſeus* de hum. vitæ primordio XI. *Hyper.* 2. Meth. *Toſtatus* in 6. Gen. ex tali concubitu robuſtiſſimos gigni ſcribit & gigantes ſtatura: cui adſtipulantur *Delrio* & *Valleſius.*

An *dolores* ſentiant? Aff. *Cæl.* 1. 29. & 6. 10. 11. 12. 13. quia non nervus ſed Spiritus nervo inſitus efficit ſenſum, *Cicogna* 1. Th. N. 7. *Lemn.* 1. O. N. 12.

## CAP. XIII.

## *De Magia.*

THeſſalia artibus Magicis pollebat. *Apul.* 1. Mel. *Lucan.* VI. *Quintil.* Declam X. advocatus homo cujus ars eſt ire contra naturam. Magiam veram defendit *Apul.* in Apol. *Minutius* in Octav. Magi quicquid miraculis ludunt per Dæmonas faciunt. *Cyprianus* de Idol. vanitate; Magis à Dæmone eſt ad perniciosa vel ludicra potentatus.

Magiæ inventores refert *Plin.* 30. de Apollonio Tyanæo *Euſeb.* contra Hiero-

roclem. *Lactant.* 5. 3. Pythagoram Magum fuiſſe probat *Cæl.* 10. 47.

De Magia naturali *Keck.* 1. Phyſ. 8. *Lang.* 1. Ep. 33. *Verulam.* 3. de augm. 5.

An *Magi Pharaonis veros Serpentes* produxerint? Aff. *Del Rio* II. Diſq. Mag. 4. 6.

Miras circulatoris cujusdam præſtigias vide apud *Apul.* 1. Met.

An *Faſcinatores* quidam naſcantur? Aff. *Zacut.* 3. Med. Hiſt. p. 312. 317. 1x. Plinio 7. 2. l. 9. 4. *Plut.* V. Symp. 7. *Gell.* 9. 4. Negat *Delrio* I. Mag. 3. q. 2. *Riolan.* 2. de abd. cauſis 19.

An *faſcinum morbos* inferre poſſit? Aff. *Sac.* d. l. p. 321. *B. Ronſſæus* ep. 48. Neg. *Sennert.* 6. Med. Pract. part. 9. c. 1. Tenera corpora faſcino magis obnoxia. *Mercur.* I. de morbis puer. 3. Laudare nimium faſcino obnoxiam, unde præfiſcini addebant. *Muret.* 9. Var. 3. *Gell.* 9. 4. Corpora effaſcinantur & læduntur halitu, Spiritu, tactu. *Mercur.* I. c. etiam per aſpectum & occultum effluvium. *Sacut.* 3. Med. Hiſt. p. 315. *Lang.* 2. ep. 36, Negat. *Sennert.* 6. Med. pract. part. 9. c. 1. *Virgil.* 3. Ecl. *Neſcio quis teneros oculus mihi faſcinat. agnos.* Baccar. herba contra faſcinum potens. *Virgil.*

*mihi baccare frontem*

*Cin-*

*Cingite ne vati noceat mala lingua futuro.*
Etiam Alyſſo *Dioſc.* 3. 87. Ruta *Ariſt.* 20. probl. 34. Res turpes collo appenſæ. *Varro.* Dicuntur Amoleta. *Voſsius* I. de Anal. 44. Suntque duplicia, *Phyſica* quibus virtus ineſt *Ronſſ.* ep. 22. *Lang* ep. 4 eſt *Riol.* 2. de abd. cauſ. c. 16. & *Mathematica* quo ſunt ſuperſtitioſa : quo pertinent characteres, numeri, de quibus *Del Rio* I. Mag. 49. 1. 2. *Sanctor.* 8. Meth. 11.

Incantationis nulla efficacia naturalis. *Salut.* I. Med. H. p. 619. Jeſ. *Matth.* quæſt. 31. Exemplum ſagittæ carminibus arioli evulſæ *Dodon.* obſ. medic. 26. Οδυσσ 19. Antolyci filii Ulyſſi ſanguinem ſiſtunt ἐπαοιδῇ. *Apul.* Apol ubi docet priſcos medicos etiam incantatiores fuiſſe, vide *Plin.* 28. 2. Flavium *Ioſeph.* 8. 2. de Salomone *Brod.* Miſcell. Exempla morborum per verba Sanatorum *Renodæus* 1. Pharmac. 12. verbis vim ineſſe *Cæl.* 9. 14. Negat *Del Rio* I Mag. 4. q. 3.

An *liceat Chriſtiano periaptis & ſigillis* vel ſimili modo invulnerabilem ſe reddere? Neg. *Senn.* 5. Med. Pr. part. 4. c. 24. De annulo magico Gygis *Cæl.* 3. 25. 26.

Sagæ

Sagæ defunctæ peſtes inducunt, quæ non prius ceſſant quam cadavera veneficarum capite truncentur, ut exemplo oſtendit. *Sennert.* IV. de febr. 3. morituræ peſtem hominibus imprecantur. *Paracelſ.* de peſte tract. 2. cap. 1. peſtem à maleficis excitatam *Saracenus* de peſte cap. 5.

Dantur morbi à veneficiis & in cantationibus. *Sennert.* 6. Med. Pr. part. 9. c. 3. Exempla apud *Schenck.* 7. obſ. 34. 35. 36. ſeqq. *Ronſſ.* ep. 50.

Sagæ ſunt melancholicæ. B. *Ronſſ.* ep. 50. non ſunt melancholicæ *Eraſt.* de Lamiis in altum evehuntur. *Elict.* quæſt. 20. Dæmonia non evehuntur. *Godelm.* 2. de Mag. 4.

Poſſunt actum concubitus impedire. *Spreng.* in malleo *Hondorf.* ad præc. 2. *Stroſſ.* Cicogna IV. Th. Nat. 1.

Non poſſunt corpora transformare. *Cicogna* l. 2. c. 5. faciunt ut Diaboli pet beſtias & alia inanimata loquantur. *Cicogna* IV. 6. *Elich.* quæſt. 13. Dæmonem.

Capitali pœna afficiendæ. *Eraſt.* de Lam. p 47. *Sennert.* 6. Med. Pr. part. 9. c. 5. Caute tamen providendum ſed ſi res liqueat comburendæ. *Godelman* 3. de Mag. 1. & XI.

De ſortilegis Boruſſorum Joh. *Meletius* in Epiſt. ad Sabinum.

CAP.

## CAP. XIV.
## *De Chiromantia.*

CHiromantia quatenus intra termi-nos ſe continet & cum Phyſiogno-mia convenit, non eſt improbanda. Quatenus vero principia ſua ad Aſtro-logiam refert ex planetis multaque ridi-cula in manibus fingit futilis & impro-banda eſt. *Valleſ.* Phil. Sacr. cap. 38. eſt res prorſus vana & ne digna quidem quæ nominetur. *Verulam.* IV. 1. Super-ſtitioſa & ridicula. *Polyd.* 1. de Juvent. 23. Antiqua tamen. *Juvenal.* Sat. VI.

*Frontemque manumque.*
*Præbebit vati.*

Vide *Keckerm.* Curſ. Phil. Diſput. XII. probl. 6.

## CAP. XV.
### De Ὁπλιαθρία.

ANtiqua hæc vulnerum curatio eſt. *Propert.* II. el. I.

*Myſus & Æonia juvenis qua cuſpide vulnus*
*Senſerat, hac ipſa cuſpide ſenſit opem.*

Superſtitioſam eſſe ὁπλιαθρίαν (quæ quo-

quomodo inſtituatur *Crollius* Baſil. Clim. p. 281. tradit) volunt *Libavius* VIII. Syntag. 2. & l. de unguento armario. *Sennert.* V. Med. Pract. parte IV. 10. *Kircher.* de arte Magnet. p. 53. *Tandlerus* de faſcino. *Biermannus* de Magicis actionibus. *Matth.* quæſt. medic. 29. *Kecker.* Curſ. Philoſ. Diſput. 11. Defendunt unguentum armarium *Doringius* de Medicina & Medico p. 109. *Goclenius* pater Analyſ. Exerc. 1. Scal. ſect. 1. n. 23. filius l. de *Magnetica* curatione vulneris.

De amuletis & remediis contra tela, vulnera & ſanguinem lege *Camerar.* Cent. II. Op. ſucciſ. 76. Judæi dicunt pſalmum CXLVI. prodeſſe ne quis gladio vulneretur. *Lutherus* ſcribit Judæum quendam Alberto Duci Saxoniæ talem artem tradere voluiſſe. Princeps ut certus ſim inquit, in te prius experimentum capiam & extracto gladio Judæum ita læſit ut neque per *Schemhamphoraſſ.* neque per appenſum *Kamea*, id eſt pergamenum ſacris nominibus inſcriptum ſanari potuerit. *Buxtorf.* Bibl. Rabbin. p. 328.

CAP.

## CAP. XVI.

## *De Cruentatione Cadaveris.*

SÆpe ad homicidæ præſentiam cadavera interfectorum ſanguine fluere notum eſt ſed an ſemper & illa ſanguinatio certum ac ſufficiens ad homicidam deſignandum ſignum ſit, non adeo conſtat. *Libavius* de indicio cadaueris cruenti, dicit in ſufficiens eſſe. *Plato* 1. de leg. tradit interfectorum animas ſæpe illorum à quibus interfecti hoſtiles inſequi. *Dido* IV. Æn.

*Omnibus umbra locis adero, dabis improbe pœnas.*

Unde & ſpectra putabant animas eſſe contaminatorum circa ſepulchra vagantes, vel inſepultorum. *Platerus* Cent. quæſt. poſſ. 8. dicit cadavera priorum pallere, dein rubere, denique ſanguinem fundere. Cauſam rejiciunt in imaginationem *Lemnius* II. Occ. Nat. 7. Cupidinem ulciſcendi reſiduam in ſanguine occiſi *Lang.* I. Epiſt. Med. 39. antipathiam inter cadaver & homicidam. *Riol.* 11. abd. cauſ. 18. Stillicidium ſanguinis è naribus vel ore ſæpe contigiſſe vidi primo vel altero, tertio vel quarto ſe-

ctionis

ctionis die. Inde cognoſces leves eſſe conjecturas quæ ſumuntur à judicibus decruentatione cadaveris ad conſpectum ſicarii *Riol.* 1. Anthropol. 18. *Quintil.* Declam. x. *Scio & intelligo cum inter gementes cadaver jacet medium & cum omnes videtur remiſiſſe curas tunc ſentit & intelligit & inter ſuos judicat.*

## CAP. XVII.

## *De Alchimia.*

ALchimiam derivant vel à *Chamo* unde *Ægyptus* in Sacris Oſiridis appellata fuit Chemia, *Sennert.* 1. de Conſ. ediſſ. 1. vel ab *Alichim* quod ſignificat itinera ſive fluxus ab Alich. ambulare, quia eſt ars liquans ſeu fundens. *Del Rio* 1. eiſque S. Mag. cap. 5. ſect. 1. Quæ omnia falſa: eſt enim vox mere Arabica & ſignificat artem occultam vel ſecretam. *Bochardus*, ejus antiquitatem demonſtrant ex illo Heſiodi πλέον ἥμισυ παντός & illo: ſtulti neſciunt quam ampla ſit in malva & aſphodelo utilitas *Salmuth.* ad 11 Pancirol. tit. 7. probabilius Poëtis per *aureum vellus* de cantatam. *Langius* 1. Ep. 53. *Del Rio* I. Eiſq. Mag. c. 5. *Suidas* vellus aureum Colchorum librum

brum fuiſſe ſcribit ὅπως δὲ ὦ διὰ χηλαίας γίνεσθαι χρυσόν. Ita & *Atreus* arietem aurei velleris habuit. *Sen*. Thyeſte. Certa Alchimiæ ante ævum *Caligulæ* non reperiuntur teſtimonia; neque antiquiorem qui ejus meminerit Firmico habemus. *Scal.* ad IV. Manil. Utilis ſit ars an vana varie diſceptatur. Veritatem probant *Rob.* Vallenſis M. *Majer* in ſymbolis aureæ menſæ & alii innumeri.

Vanitatem inſectantur *Petrarch*. I. de Rem. fort. Dial. Dial. XI. *Agrippa* de Van. Scient. 90. *Eraſm*. in Coll. Alcumiſta: ut piſcis non capitur abſque eſca: ita Alcumiſtis non provenit aurum niſi pars auri admiſceatur. *Paracelſus* I. Philoſ. Sag. 6. J. *Riolan*. II. de abol. cauſ. 19. Chimiſtæ umbras pro rebus ſudore multo conſequuntur, Ixioni ſimiles qui pro Junone nebulam amplectebatur, ſimiles Æſopico cani qui præferebat umbram rei. *Verul*. de augm, ſcient. Comparari poteſt agricolæ apud Æſopum qui è vita exiturus dixit filiis ſe vim magnam auri in vinea relinquere nec ſatis meminiſſe quo loco defoſſam. Qui cum vineam ligonibus diligenter circumvertiſſent, aurum quidem repererunt nullum, ſed vindemiam tuleruut uberrimam: ita Chimici circa aurum conficien-

dum

dum occupati haud paucis nobilibus inventis tum ad referandam naturam tum ad uſus vitæ apprime idoneis quaſi facem accenderunt. *Eraſtus* apud Scholtzium Epiſt. Medic. 291. non reprehendo Chimicam quatenus τὰ δυνατὰ perſequitur ſed quatenus τὰ ἀδύνατα. *Del Rio* 1. eiſq; Mag. 5. Chimicam qua Medicinæ adminiculatur ego laudo & veneror Phyſiologiæ fœtum præſtantiſſimum. L. *Crocius* in III. Nahumi: In medicina potiſſimam laudem meretur. Ultra ne tentes, ut ne labor χρυσόκαρπος tibi fiat ὠλεσίκαρπος. *Scal.* Ex. XXIII. fornaculas iſtas odio pluſquam vatiniano odi. Leo X. Alchimiſtæ librum de auro conficiendo offerenti, vacuam crumenam donavit in qua aurum ſuum reconderet. Jac. *Pontanus* in Bellariis.

Ars eſt quæ *Regibus* convenit unde Anglorum legibus vetitum ne quis privatus ſine conſenſu Regis Alchimiam exerceat. *Keck.* Diſp. XXXII. publ. 9.

CAP.

# CAP. XVIII.

## *Mathematica.*

INventor *Aſtrolabii* ſuperiori ſeculo fuit Joh. *Stoeſlerus* qui tamen Ptolemæo adſcribit eum ſecutus Johannes de *Royas*; ſed primus Aſtrolabium perfecit & uſum ejus uberrimum oſtendit Gemma *Friſius* cujus opus abſolvit filius *Cornelius* Gemma: amplificavit Adrianus *Metius*. Quadrantem à planiſphærio abſcidit P. *Apianus* & Orontius *Finæus*. Gemma *Friſius* de Aſtrol. Cathol. cap. 1. poſtea eum per fecit Ph. *Lansbergius*.

*Chriſtianus* IV. Rex Daniæ peritiſſimus fuit artis bombardicæ ac ſua manu tormentum fudit quod das *Roſen ſtuck* vocatur. H. *Guhle* part. 2. von der Buchſenmaſtery. p. 112. 113.

Aurea ſtatua digni ſunt qui primi Canones ſinuum Tangentium ſecantium invenere. Nic. *Muler*. 1. Aſtrom. 13. *Nonam* ſphæram excogitavit *Tebit* Judæus *Decimam* addidit *Alſonſus* Rex Caſtiliæ.

Joſ. ab *Acoſta* optavit in America planum campum ex quo totum horizontem poſſet perluſtrare ſed eum nullibi

libi nec in continenti, nec in inſulis reperit, etſi per 700. mill. confecerit, 3. 19.

*Archimedes* furtum in aurea Hieronis corona commiſſum detexit per aquam, *Vitruv.* 9. Arch. 3. Gemma Friſius oſtendit in Arithmetica non opus eſſe aqua, ſed per regulam falſi id fieri poſſe, adhibita modica auri vel argenti parte.

Tubum opticum reperit Jac. *Metius* Adriani frater Adr. *Met.* 1. Doctr. Sphæricæ c. 1. num. 4.

*Pythagoras* ex veſtigio Herculis proportionem totius corporis oſtendit. *Gell.* I. 1.

## CAP. XIX.

## *Geographica.*

AN quis *orbem abſque peregrinatione* deſcribere poſſit? Aff. Ferdinandus *Pincianus* Caſtigat. in I. Melæ p. 34. Ceu verò neſciamus pulcherrime nobis Dionyſium Poëtam totum terrarum orbem depinxiſſe ſine hujuſmodi peregrinationibus ut ipſe de ſe fatetur & non tradat Strabo ad ſitum terrarum plus momenti afferre auditum quam viſum.

Tota terra eſt habitabilis. Omne clima eſt temperatiſſimum relatione ha-

bita ad homines qui illud habitant *Sanct.* *ctor.* 6. Meth. Err. 13, *Scythæ* apud Juſtinum II; Natura ad locorum patientiam animalia quoque generavit & quanto eſt Cœlum aſperius tanto & corpora & ingenia duriora. *Geminus* de apparent. c. 5. vult Zonam frigidam & regionem Cimmeriorum inhabitabilem, διὰ τὴν τῦ ψύχυς ὑπερβολήν. Loca circa mediam torridam temperatiora quam circa extremam. *Geminus* de apparent. 13. *Valleriola* 1. Loc. Com. 10.

Montes non ſunt nubibus altiores. Quod quidam id ſe vidiſſe dicunt, errore factum: nebulæ fuerunt non nubes. Joſ. *Simler.* de Alpibus. *Geminus* de appar. Cœleſt. c. 14. dicit infra vertices Cyllenios nubes & ventos eſſe.

*An ſint Antipodes?* vide *Lactant.* 3. Inſt. 24. Aug. 16. C. D. 19. *Vigilius* Epiſc. Invavienſis hæreſeos propterea damnatus *Avent.* 3. Ann.

An *Thule* Iſlandia: Neg. *Munſter.* IV. Coſm. 2. *Arngrimus* Jonas.

Urbs Ieruſalem in medio terræ. *Mandevill.* cap. 63. itiner. quem refutat *Ghiſtele* 11. itin. 25.

*India* priſcis regiones infra & ſupra ſinum Arabicum denotat. Hinc Indiam *Joſephus* 11. ἀλώϲ. ait ab Ægypto contingi. *Petitus* 3. Miſcell. 12. CAP.

## Cap. XX.

## *Quæſtiones Politicæ & Morales.*

DE Lamiis quæritur *an aquæ innatatio* eas probet? *Scribonius* in Epiſtola publice edita demonſtrare voluit probationem ſagarum per aquam frigidam niti rationibus Phyſicis quem plurimi refutarunt. ignotus quidam A. 1589. Otto *Melander* 1597. *Godelman.* 111. de Magia 5. *Thyræus* de Dæmoniacis 19. *J. Heurnius* Reſponſo ad ſupremam curiam Hollandiæ: nullum eſſe aquarum innationem lamiarum judicium. *R. Golenius* in publica Oratione ſtatuit ſagas in ſuperficie aquæ adhæreſcere propter aëream Diaboli aſpirationem.

*Carnifices*, ſi munus eorum ſpectes *non ſunt infames.* Ipſi interdum Magiſtratus reos punierunt. *P. Lænas* Trib. Pl. Sex. Lucilium Saxo Tarpejo dejecit. *Vellei.* 11. *Livius* habet: de ſaxo dejici juſſit. *Plutarch.* κατακρημνίζειν. Sejano damnato ipſi Conſules aut Tribuni multos ſenatores, equites & plebejos ſaxo præcipitarunt. *C. Cæſar* ſua ipſe manu damnatos è Capitolio dejecit. *Dion.*

XXIX. & XXXVIII. *Philo.* apud Euſeb. VIII. πρωτ. 5. Vindices publicarum rerum ad homicidas, proditores, ſacrileges interficiundos publice aluntur, non quia tale exercitium laudetur, ſed quia populo neceſſarium eſt.

*Furtum* ſimplex ne quidem in conſtitutione *Friderici* capitale eſt. Rubrica enim ibi de graſſatoribus & violatoribus pacis publicæ loquitur. Rubrum autem declarat ſuum nigrum. *Keckerm.* Diſp. XXXII. probl. 2. *Draco* furtum ſupplicio capitis qualecunque etiam punivit. *Gell.* XI. 18. Apud Ægyptios & Lacedæmonios erat impunitum. *Juſtin.* II. de Scythis: nullum ſcelus apud eos furto gravius: quippe ſine tecti munimento pecora & armenta habentibus quid inter ſylvas ſupereſſet ſi furari liceret? vide & *Ariſt.* ſect. 29. probl. 14. & 16.

*Matri* à liberis major debetur amor quam patri. *Quintil.* Declam. VIII. Si mehercule fas eſt æſtimare utri plus parenti debeatur ex liberis, non improbe totam pietatem ſtatim ſibi vindicabit affectus qui decem mentibus aut veſtram incipit deligere notitiam, & cum vos patres gaudium primum faciat oculorum, ante ſunt conſcientia matres.

*Cadavera* maxime peſte defunctorum non

non eſſe in templis ſepelienda prolixe aſtruit *Rivetus* in Epiſt. de peſte fugienda ex legibus Romanis & Synodis.

Liberos proprio lacte matris nutriendos *Phavorinus* apud Gellium cenſet. xii. i. *Quintil.* Declam. xviii. Natum de ſe continuo impatientius complexa quam reliquæ parentes non in nutrices nec miniſteria ſepoſuit, ſuis aluit uberibus, ſuo fovit amplexu. *Joh. Matth. quæſt.* medic. xvi. Ratio illa mores nutricum cum lacte ingenerari nulla eſt: falſa illa ſollicitudo eſt: alimentum enim ingenium non mutat. Contrarium oſtendit *Rod. à Caſtro* iv. de Nat. mulier. 12. ubi inquit: Matres quæ liberos non nutriunt, veræ matres non ſunt. Nutrices optimæ eligendæ. *Quintil.* i. Inſt. Orat. i. Servitus eſt contra jus naturæ. *Quintil.* Declam. xiii. Quid autem non liberum natura genuit? Taceo de ſervis quos bellorum iniquitas in prædam victoribus dedit, iiſdem legibus, eadem fortuna, eadem neceſſitate natos. Ex eodem cœlo ſpiritum trahunt, nec natura illis ſed fortuna Dominum dedit. *Cæſar* iii. Comm. omnes homines natura libertati ſtudere & conditionem ſervitutis odiſſe. Ita Eſſeni judicabant ſervi-

 tu-

tutem contra leges naturæ eſſe. *Philo* apud Euſeb. VIII. πρεπ. 4.

Quidnam ſit in mandato recepto rectius, idne omnino facere quod mandatum eſt, an nonnunquam etiam contra, ſi id ſperes ei qui mandavit utilius fore? vide *Gell.* I. 13.

An ſemper ac in omnibus juſſis patri parendum. *Gell.* II. 7.

Si parentes vel liberi in eodem periculo, uter primo liberandus? *Quintil.* Declam. II. & V. Si duos pariter naufragia raperent, illi porrigerem manus quem jam membrorum contentione laſſatum fluctus hauriret: ſi vulneribus confectos remiſiſſet acies properantius ei clauderem plagas per quem animam largior ſanguis egereret.

An mœror, febrem, tabem & mortem concitare poſſit? Aff. *Zacutus* II. de P.M H. p 993. Exempla eorum qui dolore vel gaudio repente expirarunt. *M. Donat.* III. Med. Hiſt. 13.

Affectus vehementiſſimos DEOS vocabant. Virgil IX.

*An ſua cuique Deus ſit dira Cupido?* *Plaut* IV. Aul. ſc 10. Lyconides de vitiata Euclionis filia: *Deus mihi impulſor fuit, is me ad illam illexit.* *Medea* Iaſoni: *Quo feret ira ſequar.*

*Vide-*

*Viderit iſta Deus qui nunc mea pectora verſat.*

VII. Met. *Maximus intra me Deus eſt.*

VIII. Met. *Sibi quiſque profecto, eſt Deus.*

*Catull.* Ep. LXVII *quis te mutavit tantus Deus? an quod amantes*

*Non longe à claro corpore abeſſe volunt?*

*Senec.* Hippol. *Regnat furor,*

*Potenſque tota mente dominatur Deus.*

*Titulum furori numinis falſo addidit.*

Virtutis natura in mediocritate conſiſtit. *Plato* apud Apul. II. de Philoſ. Moral. Hinc etiam medietates eaſdemque virtutes ac ſummitates vocat, non ſolum quod careant redundantia ac egeſtate ſed quod in meditullio quodam vitiorum ſint ſitæ: fortitudo quippe circumſiſtitur hinc audacia inde temeritate. *Horat.* I. Ep. 18.

*Virtus eſt medium vitiorum utrimque reductum.*

1. *Epiſt.* 1. *Virtus eſt vitium fugere & ſapientia prima.* quod rejicit *Lact.* VI. 5.

1. Sat. 1. *Eſt modus in rebus, ſunt certi deniquè fines,*

*Quos ultra citraque nequit conſiſtere rectum.*

Negat *Gell.* IV. 9. Ingenium & officium & forma & diſciplina & conſilium & victoria & facundia, ſicut ipſæ virtu-

tum amplitudines, nullis finibus cohibentur, ſed quanto majora auctioraque ſunt, etiam tanto laudatiora ſunt. L. *Valla* I. Dial. 10. *Aſlac.* probl. Eth. Chriſt. II. *Meiſner.* diſſert. de ſummo Bono c. 4. quæſt. 4. *Grotius* prol. de jure belli ac pacis.

De αὐτοφόνοις ita judicabant *Platonici*: Etſi in manibus Sapientis eſt mortis facultas, quamvis ſciat ſe terrenis relictis conſecuturum eſſe meliora, niſi neceſſario iſtud perpetiendum eſſe lex divina decreverit, accerſere ſibi tamen eum mortem non debere. *Apul.* II. de Philoſ. moral. *Stoici* abſolute probabant. *Lipſ.* III. Manud. ad Phil. Stoic. diſſert. XXII. ex Seneca. *Plin.* II. 63. & hæretici apud *Auguſtin.* de hæreſ. cap. 61. 69. De eorum pœnis apud inferos *Virgil.* VI.

Mendacium, maxime officioſum & ſimulatum licitum eſſe volunt Stoici. *Quintil.* XII. 1. & II. 18. mendacium dicere etiam Sapienti aliquando conceſſum eſt. Et non ſemper, etiamſi frequentiſſime, veritas tuenda erit, ſed aliquando exigit communis utilitas ut etiam falſa defendantur. Vide *Auguſtin.* ad Laurent. cap. 18. ad 23. & ibi Danæum. An pro utilitate amicorum delinquendum aliquando ſit? *Gell.* I. 3.

Sub

Sub imperio Iovis antiqui volebant priſcam illam ſinceritatem periiſſe. *Phædra* Hippolyto:

*Iſta vetus pietas ævo moritura futuro*
*Ruſtica Saturno regna tenente fuit.*
*Saturnus periit, perierunt & ſua regna;*
*Sub Iove nunc mundus juſſa ſequare Iovis.*
*Iupiter eſſe pium ſtatuit quodcunque juvaret.*

Iuſtitia à Iove fugata, vide *Lactant.* v. 5. *Ovid.* 1. Met. De ſummo bono infinitæ fuerunt opiniones. *Varro* apud Auguſtin. XIX. C. D. I. ſuo ævo CCLXXXVIII. opiniones de ſummo bono in Philoſophorum libris fuiſſe refert. Non tamen quicquid certi de eo habuerunt, adeo ut *Labienus* apud Lucan. IX. hanc quæſtionem dignam putet quæ à Catone Iovi Hammoni diſſolvenda proponatur:

*Quære quid eſt virtus & poſce exemplar honeſti.*

*Iuvenal.* Sat. x. *Omnibus à terris quæ ſunt à Gadibus uſque*
*Auroram & Gangen pauci dignoſcere poſſunt*
*Vera bona.*

Vide *Perſ.* Sat. v. *Lactant.* III. 7. 8. 10. *Verulam.* VII. de Augm. Scient. I. Diſputationes infinitas & ſpeculationes cir-

ca boni ſupremum gradum quod ſummum bonum vocarunt & Ethnicis inſtar Theologiæ erat, Chriſtiana tandem fides ſuſtulit & miſſas fecit.

Peccata & vitia omnia paria faciunt Stoici. *Horat.* I. Serm. 3. *Cic.* pro Muræna, & II. de finib. *Laërt.* in Zenone: Nam & qui centum ſtadiis abeſt à Canopo & qui uno, æque in Canopo non ſunt: ita & qui minus peccat & qui amplius æque in recto opere non ſunt.

Voluptas ſummum bonum Epicuro non luxurioſa ſed animi tranquillitas *Laërt.* x. Sed ejus ſectatores ad voluptates corporis deflexerunt ut *Ariſtippus Lactant.* III. 7. 8. quorum proverbium erat, Edamus, bibamus; quod extat 1 *Cor.* xv. non Laconum ut contra Vallam *Beza* probat. Ita *Sardanapalus*,

*Lude, bibas, comedas, poſt mortem nulla voluptas.*

*Martialis*: *Vita nimis ſera eſt craſtina, vive hodie.*

Laudare ſeipſum quando licitum ſit, vide I. *Bernart.* in Boët. I. de Conſol p. 223. *Virgil.* I.

*Sum pius Æneas fama ſuper æthera notus.*

Cur honoraturi aliquem caput detegamus? *Plin.* xxxv. 6. *Plut.* probl. xI.

*Cœl.*

*Cæl.* xx. 12. *Piccolom.* cap. 31. grad. 8.

Conſuetudo poteſt converti in naturam. *Gal.* III. Simpl. 18. anus Athenienſis ab exigua cicutæ portione tantum effecit ut in magna copia innoxie veſceretur. *Cæl* XI. 13. puella araneis edendis delectabatur *Plin.* xxv. 2. de Mithridate & *Martialis* v. Ep. 117 *Sanctorius* IV. vit. Err. 5. exemplis oſtendit univerſas humani corporis facultates, ſenſim à longa conſuetudine & uſu externarum cauſarum in varias & aliquando contrarias naturas verti poſſe. Idem tamen cap. 7. refutat eos qui putant conſuetudinem in naturam verti poſſe. *Ronſſeus* Epiſt. medic. 67. oſtendit conſuetudinem non recte appellari alteram naturam. *Verulam.* VII. de Augm. Scient. 3. Opinio illa Ariſtotelis plane mihi videtur anguſtias quaſdam contemplationis & negligentiam ſapere, cum aſſerit in illas actiones quæ naturales ſunt; conſuetudinem nihil poſſe. Exemplo uſus: quod ſi lapis millies projiciatur in altum ne inclinationem quidem aſcendendi in altum acquirit: quin etiam quod ſæpius videndo aut audiendo nihilo melius aut videamus aut audiamus. Quamvis enim hoc teneat in aliquibus ubi natura eſt peremtoria; aliter tamen in illis fit, in quibus

natura ſecundum latitudinem quandam patitur intentionem & remiſſionem. Sane videre potuit Chirothecam paulo arctiorem, manui ſæpius inducendo, latiorem reddi: Baculum uſu & mora in contrarium flexus ſui naturalis incurvari & in eodem ſtatu paulo poſt durare: vocem exercitando magis fieri robuſtam & ſonoram: frigora æſtumque conſuetudine tolerari.

De Origine hominum atque Politiarum antiquiſſima opinio gentilium *Euſeb.* 1. *πρὸπ.* 4. ex Diod. Siculo. Ovid. 11. de Arte. *Virgil.* VIII. *Lactant.* 6. Inſt. 12. *Horat.* 1. Serm. 11.

De felici Politia ſub *Saturno* ſive aureo ſeculo *Ovid.* 3. Am. 7. 1. *Met.* Fab. 6. *Virgil.* 1. Georg. *Catull.* Ep. 65. *Tibull.* 1. El. 3. *Lactant.* 5. Inſt. 5. *Sen.* Hippol. & Octavia.

Cur Jupiter hanc felicitatem aurei ſeculi mutarit *Claudian.* 3. de Raptu. *Virgil.* 1. Georg. *Sen.* Hippol. & Octavia.

Ius naturæ. *Salluſt.* Catil. jus bonumque apud eos non legibus magis quam natura valebat. *Iuſtin.* 11. de Scythis: juſtitia gentis ingeniis culta non legibus. Perſ. Sat. v. *publica lex hominum naturaque continet hoc fas.* Jus belli. *Sen.* Troad. *Lex nulla capto parcit aut pœnam impedit.*

Quod-

*Quodcunque libuit facere victori licet.* Virgil. Ciri. *At belli ſaltem captivam lege necaſſes.* Arioviſtus apud Cæſarē 1. Com. *jus belli eſt ut qui viciſſent, iis quos viciſſent, quemadmodum vellent imperarent.* Regnum inſociabile. *Minutius* Octav. quando unquam regni ſocietas aut cum fide cœpit aut ſine cruore deſiit. *Lucan.* *nulla fides regni ſociis.*

## Cap. XXI.

## *De Scientia.*

Dubitatum ab antiquis an etiam *in futura vita ſcientiæ*, quales ſunt Aſtrologia, Phyſica, Muſica cæteræque artes locum habituræ ſint? Auguſtinus haud obſcure in negantem ſententiam inclinat xv. de *Trin.* 16. ac libello ad *Laurentium*, ut in Commentario obſervat L. *Danæus.* Secundum *Thomam* & *Bonaventuram* ſcientia non evacuatur in patria quantum ad habitum, ſed bene quantum ad ſciendi modum. Non enim ibi fore modum cognoſcendi per ſenſum & phantaſmata. *Biel* in 3. ſent. d. 31. q. unica. Gentilium communis fuit opinio animas libera rerum cœleſtium contemplatione fore beatas, *Ariſt.* 10. ad Nicom.

*Sci-*

*Scipio* apud Cicer. in Somnio. Locus *Pauli* 1 *Cor.* XIII. 12. 13. clariſſimus eſt: *Prophetiæ evaneſcent & linguæ ceſſabunt & cognitio evaneſcet.* Sed ſi linguæ, quid fiet *Hieronymo* qui commendans ſtudium linguæ Hebrææ: *diſcamus* inquit *ea in terris quorum ſcientia perſeverat in cœlis.* Multi enim exiſtimant linguam Hebræam fore cœleſtium. De omnibus ejuſmodi quæſtionibus placet illud *Auguſtini* XII. de Trinitate 14. *Quicquid homo extra Theologiam didicerit, ſi noxium eſt in Sacris Scripturis damnatur, ſi utile ibidem invenitur & approbatur.*

GEOR.

# GEORGI HORNI
# HISTORIÆ NATURALIS
## *LIBER QUARTUS.*

### CAPUT PRIMUM.

Cum finis humanæ Societatis ſive Civitatis ſit non tantum vivere (quod etiam ſolitarii poſſunt) ſed bene ac commode vivere, præcipuum doctrinæ Politicæ Caput eſt, media ad hunc finem tendentia conquirere, quod Ariſtoteles facit cap. 8. 1. Polit. & ſeqq.

Duo ergo ſumma Capita ſunt quæ huc ſpectant, nimirum Κτητικὴ & χρηστικὴ; quarum illa docet modum & rationem acquirendi omnia quæ ad vitam hominis non modo neceſſaria ſunt vel etiam eam omnibus rebus copioſam & affluentẽ faciunt. Altera vero oſtendit ad quos uſus illa ipſa adhiberi debeant.

## Κτητική.

Hujus objectum eſt tota natura corporea: imprimis omnia quæ in aëre, aqua, terra naſcuntur & proveniunt. Hominis enim cauſa omnia initio creata & producta ſunt. Ariſtoteles ipſe hoc agnovit: τῶν ἀνθρώπων ἕνεκα πάντα πεποιηκέναι τὴν φύσιν.

Acquiruntur autem omnia quæ ad vitæ hujus non modo neceſſitatem verum etiã ſplendorem ac luxum requiruntur, ex Terra, Aqua & Brutis animalibus.

In terra ſpectatur tum *ſuperficies*, tum *interiora* ejus ſive ſubterranea.

Terræ *Superficies* complectitur *hortos*, *vineas*, *oleas*, *agros*, *paſcua*, *Sylvas*.

Hæc vocatur vita Ruſtica, cujus innocentia ſatis deprædicari non poteſt. Sciendum igitur eſt omnem hanc ruſticationem magnis adhuc laborare defectibus neque ad ſummum perfectionis gradum adhuc deductam prout in ſingulis ordine oſtendemus. Commune autem vitium eſt quod ſemina ſine diſcrimine committuntur terris cum non omnia ſint frugifera. 2. Quod confuſe manu ſpargantur: unde major pars perit ſicut Chriſtus docet Luc. 8. 3. Quod non prius præparantur tum ad multiplicationem.

tum

tum ad celeriorem proventum: ſive ut & in quantitate & in qualitate uberiora naſcantur.

## CAP. II.

## *De Hortis.*

PRimus antiquiſſimus ac ſimpliciſſimus acquirendi modus eſt hortenſis. Primus enim homo ipſius Dei juſſu hortum coluit & ex ejus fructibus bene ac feliciter vixit. Itaque in ſtatu innocentiæ homines nonniſi oleribus, fructibus arborum & quæ alia hortorum commoda ſunt vixiſſent.

De vulgari hortorum cura non eſt quod multa dicamus. Negligitur 1. *acceleratio* illorum quæ in hortis proveniunt, quod fieri poteſt per convenientem ſeminum in liquore quodam macerationem. Quod experimentum admodum utile eſſet in illis imprimis hortorũ, quorũ celerior proventus quantivis pretii, & quia pleræque macerationes levi pretio conſtant ac proventus copia magnam faciunt lucri ſpem. Neque metuendum eſt ne per feſtinatam maturationem aliquid decedat frugis probitati, cum utriuſque cauſa ſit vigor ſeminis. Atque

que hoc experimentum extendi poteſt ad omnia grana, ſemina, nucleos, radices & quæcunque creſcunt vel ſeruntur in hortis.

Quicunque igitur ex hortorum cultu vivunt, eos omni ſtudio ac intentione laborare par eſt quo illos defectus suppleant ac majores proventus inde percipiant.

Imprimis digna ulteriori cura eſt illa plantarum transmutatio.

Qua ratione fructibus, floribus, radicibus, indatur auctior proventus, ſuavitas arboribus concilietur, proceritas, amplitudo, præcocitas.

Quæ omnia naturalibus mediis commode & magno cum publico bono effici & procurari poſſunt. Nec quia multi talia naturæ arcana vel ignorant vel ſpernunt ideo Rerumpubl. Rectores ea negligere debent. Infiniti enim & inexhauſti naturæ theſauri ſunt ac inertiæ noſtræ culpa eſt quod multi inopia laborant vel miſerè vivunt.

## CAP. III.

## *De Agricultura.*

PRoximum poſt hortorum curas locum in Rep. ſortitur agricultura, quam

quam Deus poſt lapſum & ejectionem hominis ex Paradiſo inſtituit: unde & laborioſior eſt & pluribus ſubjecta incommodis. Laborat autem agricultura noſtra his incommodis.

I. Quod ſemen terræ committendum ſine diſcrimine ſumitur & electione.

At vero ſciendum eſt non quodlibet granum frumenti eſſe fertile ſive fœcundum: ſed ſicut in animalium, ita quoq; in ſeminum generibus multa ſunt ſterilia quæ conjecta in terram pereunt ac computreſcunt. Ex quo patet quanta quotannis frumenti copia pereat hoc neglectu, qua multa pauperum millia ali & ſuſtentari poſſent.

II. Quod ſemina confuſe in ſulcos ſpargant: unde interdum ſpiſſius interdum rarius cadunt, nec ubique æqualiter terra conteguntur, in univerſum ante major ſeminis pars perit vel ab avibus devoratur ac inſectis.

Oſtendit id eximia Chriſti parabola Luc. 8. qua dicit: *egreſſum agricolam ut ſementem faceret: & dum ſeminaret aliud cecidiſſe ſecus viam ac conculcatum & volucres Cœli comediſſe illud: aliud cecidiſſe ſuper petram & exaruiſſe: aliud inter ſpinas & ſuffo-*

*ſuffocatum: aliud demum terræ bonæ & centuplum dediſſe.*

III. Quod abſque prævia præparatione & maceratione committuntur terris: Unde languidior eorum proventus ac pauperior. Ut igitur hi defectus in agricultura emendentur obſervanda ſunt hæc.

1. Semina ſive grana nonniſi ponderoſiora ad ſementem eligenda ſunt. Hæc enim tantum ſunt maſcula quæ in terras tanquã ſibi fœminas projecta & aſſociata vim generationis habent. Electio illa fit vel per infuſionem vel per ventilationem. Lege 1. *Kennuthi* Scotorum Regis ſemina, niſi nocivis granis munda, terræ mandari vetabantur. Secus qui feciſſet prima vice uno bove, ſecunda decem, tertia ipſo agro mulctabatur. H. *Boëthius* lib. 10.

2. Ea ſic electa in conveniente liquore ſuo tempore maceranda ſunt & fermentanda ad uberiorem proventum. Hæc maceratio infinitæ & incredibilis virtutis eſt, adeo quidem ut unum granum ita præparatum produxerit ſpicas centum quatuordecim, granorum millia ſex: in univerſum conſtat uberrimum inde frumenti fieri proventum. Fermentatio autem illa granorum anteqnã ferantur; quomodo fiat, nondum adeo manife-

nifeſtum eſt & inter ſecretiores artes habetur. Antiqui ſane non ignari fuerunt hujus rei: quippe Democritus ejus meminit teſte Conſtantino Cæſare l. 2. de Agricultura cap. 39. Et Poëta.

*Semina vidi etiam multos medicare ſerentes,*
*Et nitro prius & nigra perfundere amurca,*
*Grandior ut fœtus ſiliquis fugacibus eſſet.*

Optima maceratio hæc eſt. Poſſunt adhiberi grana putrefacta & corrupta, quæ vulgo abjiciuntur vel fimus animalium quæ granis veſcuntur vel nitrum. Coq; ſemen ſive grana in aqua (ea ſi ſit nitroſa melius) Excocta grana (quo diutius coquuntur eo melius) abjice: ſunt enim inutilia (vel poſſunt ad cibum vel pecora alenda adhiberi) aquam ſine refrigerari; in ea macera ſimilia grana quæ attrahent illud ſal quod ex reliquis granis aquæ incoctum eſt adeoq; unum granum virtutẽ plurium nanciſcetur. Semen nil eſt niſi ſal congelatus cum ſubtiliſſimis partibus corporeis cujus ſunt ſemen. Unde ſemina cocta ſterilia fiunt: quia ſal ille centralis reſolvitur ab aqua & in eam tranſit. *Faber* l. 1. 352.

In hac maceratione imprimis caven-

dum:

dum:ne liquor ſit calidus:&ne etiã in frigido nimis diu macerentur grana quia alias Sal eorum liqueſcit & in aquas ſecedit.

3. Semine ita præparato nunc de agro laborandum eſt,duo enim ad omnem generationem requiruntur agens & patiens, mas & fœmina. Semen agentis & maris, ager & patientis & fœminæ rationem obtinet. Quæ vulgaris & recepta agrorum præparatio ſit, notum eſt. In agro primum requirunt terram pinguem & gleboſam. Eam vomere exercent,arant, invertunt, paſtinant, occant.

Quod ſi ſolum ſit macilentum & arenoſum,ſtercoratione opus eſt quæ faciat lætas ſegetes. Horum operum multiplicatio laborioſa & ſumtuoſa ex eo profecta eſt quod nullam ſeminis emendandi & per præviam macerationem maturandi rationem habuerunt. At vero illa præmiſſa unus aratri labor abſque ulla agrorum ſtercoratione ad uberrimã fertilitatem ſufficiet. Atque hæc utilitas in Rep.immenſa eſſet.Notum enim eſt quã laborioſa & ſumtuoſa ſit agrorũ anniverſaria ſtercoratio & præparatio. At vero ſi ſemen ipſum noris præparare non opus eſt multum de agro laborare: quippe finis arationis, ſtercorationis, occationis & alio-

& aliorum laborum eſt promovere fertilitatem, & ut ſemen in agrum conjectum inde ſugat ſuccum quo creſcere & provenire poſſit.

Hoc vero ipſi ſemini antequā in agrum ſpargatur per artificioſam imbibitionem dari poteſt.

Quinimo experientia docuit ſemina ita præparata & imprægnata in terra ſterili, macilenta melius & uberius provenisſe quam pingui & læta.

IV. Quod terra diu id eſt integro ſæpe anno citiùs invertatur aratro quam ſemē ei committatur. At ſic interea ſpiritus terreſtres exhalant qui vegetare debent ſemina.

4. Deprehenduntur etiam multi adhuc defectus in vulgaribus aratris & plauſtris quæ multos equos requirunt & tamē expectationi nō ſatisfaciunt. Quare alii agriculturæ emendandæ ſtudioſi jam faciliorem modum arandi repererunt, quo una die major agri modius arari poteſt & conſeri quam vulgari intra quatriduum. Ea ratio jam in Eboracenſi Comitatu apud Anglos obtinet. Ratio arandi abſque equis vel bubus, ope unius etiam pueri perficitur.

1. Fiat aratrum in quo plures vomeres, ad faciliorem arationem.

2. Ara-

2. Aratrum per machinas uno vel duobus funibus protrahatur. Stivam regat agricola.

Poſſunt ejuſmodi machinæ binæ adhiberi ab utraque extremitate agri quo aratrum poſſit retrahi.

5. Suadent alii ut more Adamico terra non aratro invertatur ſed ligonibus fodiatur. Nam ligo altius penetrat quam aratrum & exſtinguit tum inſecta, tum zizanias, ac ubi ſolum eſt mollius, haud multo ſumtuoſior eſt.

2. Deinde multa hominũ millia honeſto labore ſuſtentari poſſent ex uberiori proventu & ſeminis compendio. Aratio ita fiat. Tempore veris ſole accedente fiant ſulci profundi (quo profundius eo melius) ejuſdem & juſtæ diſtantiæ. Hoc quia fieri non poteſt vulgaribus aratris vel ligonibus & manu fiat vel aratrum melius eſt excogitandum.

2. Quamprimum terra ita eſt inverſa, ſtatim ſemina ordine in ſulcis ponenda ac ſtatim humo contegenda, ne ſpiritus terreſtres exhalent. Deinde interra iterum parumper moventur ut vigor excitetur.

**Sane in *Ruſſia* & *Lituania* uno tantũ equo ad arandum utuntur & lætiſſimæ ibi ſegetes.** ***Agri incendio ad fertilitatem præpa-***

*parantur: ita* per octo continuos annos ſine ulla ſtercoratione fruges fundunt.

Mirabile illud eſt quod de Samogitis refert *Ganguinus* eos nonniſi lignis ad arandum uti, cumque aliquando ferrei vomeres ibi à præfecto introducti fuiſſent, ſecuta ſterilitas: ideo antiquus mos, quanquàm in ſpeciem laborioſior retentus.

5. Ita præparato ſolo & ſemine, hoc non jam manu ſpargendum ſed plantandum eſt ordine ac collocandum juſta diſtantia & profunditate. Duo hîc requiruntur. 1. ut juſta diſtantia. 2. ut juſta profunditate ſemina plantentur & collocentur.

Si manu ſpargatur, dimidia ſeminis pars inutiliter perit.

Plantandum igitur eſt ſemen ſive ſingula grana æquali à ſe pedis unius diſtantia collocanda ſunt.

1. Cur pedis unius diſtantia?

Quia ſi denſius, ſeſe ſuffocant mutuo. Nam conſtat unum granum plures producere ariſtas; ad hoc opus eſt juſta diſtantia. Deprehenſum eſt unum granum rite præparatum, 30, 36, 38, 42, 52. ſpicas producere ordinario. Imo ſunt qui 114. ſpicas ex uno grano habuerunt.

Magnum igitur in hac diſtanti ſeminis

collocatione ad multiplicationem frumenti poſitũ eſt momentum. In *Byzacio* Africæ fertiliſſimo campo unum granum quadraginta paucis minus germina produxit, quæ ad Auguſtum tranſmiſſa. Ad Neronem ex eodem agro ex uno grano CCCXL. ſtipulæ. Plinius l. 18. c. 10.

In *Rozan* Moſcoviæ ſingula grana duas vel plures ſpicas proferunt ampliſſimas. *Ganguinus*. Leontini Siciliæ campi centum ſtipulas dedere.

Objici hic poſſet: illam ſeminum collocationem ordinatam & quaſi plantationem nimis fore moleſtam, imo impoſſibilem.

Reſp. 1. Fieri poteſt per homines ad alias actiones in Rep. inutiles: ut per pueros, puellas, homines mancos & vetulas. Sumtuum ratio ſibi ex uberrimo proventu facile conſtabit.

2. Inventum ad eam rem eſt inſtrumentum commodum quo faciliori modo quam vulgari idem fieri poteſt. Ita ut uno eodemque inſtrumento & juſta ſeminum diſtantia & profunditas perfici poſſit. Nam tritici plantatio per moleſtiam & laborem nuper apud Anglos tentata iterum deſerta fuit.

CAP.

## CAP. IV.

VT igitur hanc de emendanda in Rep. agricultura diſſertationem concludam: multum lucis illis quæ diximus accedet, ſi probe conſideremus & intelligamus quænam cauſa ſit fertilitatis & propagationis ſeminum.

1. Omnium vegetabilium augmentatio & incrementum eſt ab aqua ſive humore. Aqua autem conſervari nequit in terra ſine ſale. Nam etiamſi ſemen in arenam humidam colloces nullũ tamen inde incrementũ proveniret, quia humor in arena cum qua nullam convenientiã habet, non poſſet ſe defendere contra ſolis radios ſed exhalaret.

Opus igitur aliquo medio, quo humor & arena conjungantur. Nam ſi in arena ſit ſal conveniens, in quo ſe pluvia contra ſolis calorem defendere queat, tum arena defendit ſal, ſal aquam, aqua fruges. Unde fertilitas.

Non vero quodlibet ſal ſufficit. Nam quædam ſalia, ut ſal commune, aluminis, vitrioli non modo non promovent fertilitatem ſed penitus etiam propter adurentem naturam ſuam, perdunt & corrumpunt.

Unde antiquis tẽporibus ſal (cõmune mi-

mirum)inſpergebatur urbibus e verſis, ad ſterilitatis perpetuæ ſignum. Alii contra (ut Sorel. T. III. 95, 96) putant ſalem inſperſum ſolo everſarum urbium eſſe argumentum fertilitatis. Segetes enim impoſterum fore ubi hactenus mœnia & ædes ſteterunt. Sed ſalis urinoſa excrementitia fertilitatem agrorum è ſemine promovent.

Hinc originem duxit agrorũ ſtercoratio. Nam ruſtici & agricolæ ſterilitatem agrorũ corrigunt admixto ſimo pecorũ. Hoc antiquiſſimum: Sed tum ipſi ruſtici tum etiam multi qui Philoſophi videri volunt ignorant veram hujus rei Cauſam. Omnes quidem dicunt fimum promovere fertilitatem, ſed quare, pauci norunt. Ratio autem eſt.

1. Quia in fimo quovis abundat ſal urinoſum ſive nitroſum. Hoc ſi admiſceatur terræ, eam reddit pinguem, adeoque pluviam continet ne tam facile poſſit exhalare à radiis ſolaribus.

Niſi igitur in fimo eſſet ſal ejusmodi nitroſum, profecto nil conferret ad fertilitatem. Nam conſtat ex omni fimo nitrum excoqui copioſum. Ergo omnis efficacia ac virtus fimi conſiſtit in ſolo illo ſale urinoſo, non vero in ſtramine vel fęcibus

2. Quia

2. Quia omne ſemen vegetabile conſiſtit in ejuſmodi ſale urinoſo, tota enim vis, vigor & fertilitas ſeminis conſiſtit in proprio ſale. Unde ſemina cocta ſterileſcunt quia Sal eorũ in aqua calida liqueſcit & extrahitur. Unde grana macerata in ejuſmodi aqua frigefacta in qua cocta fuerunt ſimilia grana fœcundiora redduntur: attrahunt enim ex aqua Sal ſuum: adeoque unũ granũ virtutem plurium imbibit. Faber. 11.352. Unde à ſimili ſale (quale in fimo) alitur & augetur, ſimile enim ſimili gaudet: ſimile ſimile attrahit.

His ita præmiſſis facile jam intelligemus in quo agricultura noſtra emendationis egeat.

1. Quod agros tantũ non ſemina ſtercoramus, longo & prolixo labore. At cum finis ſtercorationis ſit ſemper promovere fertilitatem ſeminum, cur non ipſa ſemina ſtercoramus?

2. Quod cum habere queamus illa ſalia urinoſa pura, tamen ipſum fimũ advehamus magno labore, cujus pleraque ſunt inutilia & noxia etiam agris.

3. Quod ſemina ſpargamus: unde nec juſto ordine ac diſtantia nec ſufficienti profunditate ſeruntur. Conſiderandum quæ fuerit cauſa fertilitatis Ægypti.

Alibi agricultura laborioſe exercetur: Soli Ægyptii minima impenſa, labore tenui fertiles fructus auferunt. Herodotus l. 2. dicit ſues ſegetibus immitti. Oves introducunt in agros ad conculcanda ſemina vel aratro levi terras ſubducunt. Diod. l. 1. c. 3. Strabo 17.

Non pluvia: caret enim Ægyptus pluvia. Non ſtercoratio & aratio: nihil enim hujus agebant Ægyptii.

Sed anniverſaria inundatio Nili eaque juſta altitudine. Fertilitas ergo non à limo Nili ſed à ſale ejus fixo qui ſemper limum comitatur & Spiritu ejus volatili. Faber Panch. 1. 453.

Nilus enim *abundat nitro:* unde ſcribit Theophraſtus 1. de fluminibus, Nili aquas dulciſſimas eſſe & fertiliſſimas, quamobrem venter bibentibus ſolvitur ob nitroſam ejus admixtionem. Athenæus l. 2. c. 2. agri nitro imprægnati ſemina abſque ulteriori cultu, vel pluviis inmenſo proventu reddebant.

Atque hæc ſunt quæ ad Politicam agriculturæ conſiderationem ſpectant. Cujus tanta eſt dignitas & neceſſitas ut etiam maximi Reges de ea ſcripſerint, Hiero Siciliæ, Attalus Philometor Aſiæ, Archelaus Cappadociæ: Duces præſtantiſſimi Xenophon Athenienſis &

Ma-

Mago Carthaginenſis, cujus opus Georgicum tanti æſtimarunt Romani ut unum illud in Latinam Linguam transferri juſſerint.

Proxime ad paſcua accedemus eorumque Politicum uſum pandemus.

Poſtquam de commodo quod ex Agricultura ad Remp. redundat, egimus, ſequitur nunc ut paſcuorum utilitatem ac neceſſitatem exponamus.

Sicut enim agricultura homini ſuppeditat victum: ita paſcuis animalia cætera alimus & ſuſtentamus: quibus cum carere Reſp. neutiquam poſſit, facile intelligimus paſcuorum magnam habendam eſſe rationem.

Sunt igitur duo quaſi præcipua ruſticorum genera *agricolæ & paſtores* ita ſibi invicem connexa ut alterum ſine altero commode exerceri non poſſit.

*Pratum* M. Varro dictum vult quaſi paratum quod ſemper abſque labore proventum ſuum tribuat hominibus. Unde oleis, vinetis, agris ſativis præferuntur. Nam ex pratis certus ſemper proventus: cum oliveta, vineta, ſata multum ſumtuum & laborum requirant ac ſubjecta ſint crebris periculis, ſive dum nimio frigore exuruntur: ſive à rubigine corrupta: ſive grandine proſtra-

tum ſive à locuſtis adeſa. Et quæ *ex pratis proveniunt, lucro uberiora ſunt ſativis:* Unde *regiones paſcuis abundantes longe videmus populoſiores* & ditiores reliquis, ſicut *Hollandia, Friſia, Zelandia, Flandria, Lombardia, Normannia, Picardia.* De vulgari pratorum cultura non eſt quod multum dicamus. Defectus autem hi ſunt.

1. Quod cum gramina *quædam ſint Sativa quæ in ſolo arido & ſterili uberrime proveniant, eorum ſationem negligamus.* Qualia ſunt, onobrychis vulgaris ſive Polygala, trifolium majus, Lucerna, &c. Hoc compendium non neglexerunt *Franci.* Nam cum circa Lutet. Pariſ. non exigua graminis & fœni ſit inopia, ut ejus defectum ſupplerent, loca arida & ſterilia quæ neglectu contabeſcebant, ejuſmodi herbarum generibus conſerunt.

*Antiqui rei ruſticæ* cultores hoc commodum haudquaquam neglexerunt. Nam cum *Darius Hydaſpis* filius bellum Græcis inferret, Perſæ ſive Medi ex *Media* attulerunt trifolii quoddam genus imprimis excellens, quod uno ſatu amplius quam tricenis annis duraret. Id Medicam à regione unde advectum primo, appellarunt. De cujus Satione & cultura legendus Plinius l. 18. c. 16. A

16. A Græcis pervenit ad Romanos, de quo Varro lib 1. de Ruſt. c.42. Palladius & alii.

A Romanis pervenit ad Gallos Sequanos: unde hodieque fœnum *Burgundiacum* appellatur.

Prata igitur non minus conſitione ad fertilitatem præparanda ſunt quam agri ſativi. Nam ſi pratum ſit pingue, zizania & herbas inutiles ſua ſponte multas producet: ſi ſterile, carduis implebitur. Caſtiganda igitur eorum *tum luxuries, tum ſterilitas* ſementatione.

11. Quod differentia graminum non obſervetur. Quemadmodum in univerſum verum eſt illud:

*Non omnis fert omnia tellus*; ita non quodlibet ſolum quaſlibet herbas & gramina producere poteſt.

Sicut igitur aliud ſolum eſt pingue, aliud macrum, aliud ſiccum, aliud irriguum, aliud denſum, aliud rarum, aliud lapidoſum, aliud arenoſum, ita quoque herbarum & graminum genera differunt, & *cuilibet ſolo proprium & conveniens ſemen* aptandum. Herbarũ autem ad paſturam utilium genera ſunt quamplurima: *ſupra nonaginta quod* conſtat, neque ullus locus tam ſterilis aut deſertus quin aliquod eorum graminum producat quæ

tamen propter *raritatem* & paucitatẽ nihil commodi afferunt. Quod ſi obſervata *illa differentia*, *ſemina colligerentur & propagarentur*, magnum omnino ad paſcuorum incrementum in Rep. operæ pretium fieret.

Hæc igitur primæva illa fuit Ruſticatio, quæ agriculturam & pecuariam complectebatur, à creatione mundi ad diluvium.

At vero *poſt diluvium acceſſit vinearum cultura* non minus utilis & neceſſaria generi humano & ad augendam Remp. ſumme proficua. *Noachum primum* fuiſſe vitiſatorem ex Sacra S. conſtat. *Omitto fabulas quas Rabbini* & alii tradunt quomodo uſum vitis invenerit. Græci idem Baccho, Latini Jano & Saturno adſcripſerunt.

Vineæ igitur primo *in Oriente excultæ* fuerunt: amant enim calidas regiones & *quo locus ſolis caloribus magis* exuſtus, eo vina generoſiora producit. Requirit *etiam Colles* & montes. Unde *in Ægypto nullæ* vites proveniunt propter planitiem regionis & *ſitum humilem ac inundationi obvium*. Ex quo Dei ſ. naturæ benignitatem miramur, ne quicquam inculti ac ſterilis ſoli reſtaret in Republ. vinearum culturam generi humano indulſit.

Nam

Nam quæ loca neque ſegetes producunt neque paſcua, ut acclives ac aſperi montes vinearum culturæ aptiſſima ſunt.

Ex Oriente vites delatæ in Græciam, ex Græcia in Italiam, inde in reliquum Occidentem. Hodie ultimus vini proventus eſt ad latitudinem poli grad. 51. uſque ad Coloniam Agrippinam: infra *enim nullæ vineæ* ſed domeſticæ tantum vites proveniunt.

Quæ vero cauſa ſit cur vineæ ad Coloniam Agrippinam deſinant, dignum inquiſitione eſt. Communiter dicunt regiones quæ infra 50. gradum ſitæ ſunt propter aëris inclementiam non eſſe producendis vitibus: nam *uvas à ſole remiſſo* non excoqui poſſe & ad maturitatem pervenire. Sed hanc non eſſe cauſam ſufficientem inde patet: quoniam certo conſtat olim *etiam in regionibus* minus calidis &ad Septentrionẽ *remotioribus vineas fuiſſe* & præſtans vinum natum. Probus Imp. Britannis fecit poteſtatem conſerendæ vitis ac vini conficiundi. *Cuſpin.* Nam Angliæ Provinciæ, Cautium, Somerſetia, Gloceſtria olim vitiferæ fuerunt, idque duravituſque ad A. Ch. 1100. cum Aquitania vini dives in ipſarum poteſtatem pervenit: tum enim vineæ propter Anglos abolitæ & in

paſcua mutatæ, quod vilius id ex Aquitaniar edimeretur.

Videmus igitur nondum eam eſſe apud nos aëris inclementiam ut vineas proferre non poſſit. Nam etiam Romani milites à Juliano in Alſatia relicti exiſtimabant regionē eam vini propter frigora non eſſe feracem quæ hodie generoſiſſima profert. Igitur quod infra gradum 50. nullæ amplius vineæ conſpiciuntur ejus cauſam eſſe *non frigoris* majorem vehementiam, *ſed regionum planitiem ſtatuendum eſt.* Inferior enim Germania ſitu humili & plano, *nullis vel raris montibus eſt.* At vero nihil ad vini proventum magis neceſſarium quam *colles & montes* inter quos repercuſſi & refracti ſolares radii divinum illum humorem maturare & excoquere poſſunt.

Quanquam vero regiones hæ *& propter* remiſſiores ſolis calores *& propter humiles* ac depreſſum ſitum minus aptæ ferendis vitibus videantur: nihilominus tamen magno cum bono publico earum cultura negligitur, cum paſſim abſque magno ſumtu ali & produci poſſent.

Pone enim non ad eam maturitatem deduci poſſe ut aptum inde vinum potui proveniat: multos tamen alios Reip. neceſſarios uſus præbebunt. Imprimis ace-

acetum inde magna copia conficietur ad quod alias vino auſtero vel corrupto utendum eſt.

Sed non tam maligne judicandum eſt de climate noſtro ut non etiam potabile vinum producere queat, ſi natura ejuſque defectus arte juventur & ſuppleantur.

1. Eligendæ vites non quævis, ſed quæ cum natura ſoli noſtri proxime conveniant, & aliquam aëris inclementiam perferre queant, quales imprimis ſunt Rhenenſes & Francicæ circa Lutet. Pariſiorum.

2. Hæ vites loco convenienti plantentur. Locus duas debet habere conditiones. 1. Ut ſit ſoli contrarius ſive ei expoſitus. 2. Ut ventis minus perflabilis.

Ergo vites plantari poſſunt. 1. *ad auſtrale latus* ædium, ſtabulorum, caſarum, ac contraventos excitari juſta diſtantia contignatio. Ita enim ſolis radii repercuſſi undique & excluſis ventis vites facile matureſcent. Quod non ad utilitatem modo incolarũ, verum etiam amœnitatem regionis multum conducet eſtque hæc res neque ſumtuoſa neque laborioſa.

2. Quod ſi quis totam vineam plantare

tare velit, eligat eis collem ſabuloſum ſoli expoſitum & verſus Vulturnum (zo) potius quam Africum (zω) protenſum. Tum ſolo rite præparato non deerit illi copia boni vini. Imprimis ſi copioſe ſtercore & cineribus omnis generis maxime armentorum foveatur ſolum. Cineres enim pluviis irrigati ſal ſuum deponent in terram eamque fœcundabunt.

Magnum igitur Reip. ornamentum atq; commodum eſt ſi non modo frumento & paſcuis verum etiam vitibus & vineis abundet *nec tantum collium & montium relinquatur incultum*. Nam ipſi parietes ædificiorum quem potius uſum præbere poſſunt quam ut vitibus conſerantur?

Male *Domitianus* qui vineas majori parte exſtirpare conabatur, exiſtimans earum cultura negligi agros & frumenti proventum. *Sueton*.

Male *Muhammed*, qui vini uſu ſuis interdixit quo factum ut præſtantiſſima Orientis vina neglectu perierint.

At præclare *Macedones* qui vites in Babylone & Suſiana conſeverunt: unde hodie vinum Perſepolitanum optimum quod in Schiraz provenit. Strabo 1. 15.

Aurelianus à Valeria via per Hetruriam univerſam Iſaliam & aprica Apennini juga vitibus conſerere decreverat

ut Pop. Rom. ſicut oleum, triticum & ſuillam carnem ita etiam vinum gratuitum præbere poſſet.

Diximus hactenus de commodis quæ ad Remp redundant ex hortis, agris, paſcuis & vineis, ſequitur ut nunc agamus de Sylvis quarum non minor neceſſitas quam aliarum rerum deprehenditur.

1. Ad Oeconomiam. 1. Ratione ignis quo carere vita hominum non poteſt. Proprium a. ignis pabulum & quaſi elementum lignũ eſt. Quanquam enim etiam alia reperiantur quæ uri poſſunt, nihil tamen commodius aut convenientius lignis eſt. Ignis defectus vitam hominis miſerrimam reddit. Qualem ſtatum fuiſſe antequam Prometheus Jovi ignem ſuffuraretur antiqui volunt. Sic Canarii & incolæ Philippin. inſularum ignis notitia carebant. Sic *Plinius* l. 6. c. 30. Æthiopibus quibuſdam ante Ptolemæum Lathyrum R. Ægypti ignotum fuiſſe ignis uſum refert. Idem tradit Mela l. 3. c. 4. Ignis & aqua in ſponſalibus à ſponſo & ſponſa tangebatur, quod hæc duo elementa inprimis familias conferrent quibus cibus & vita conſtat. Unde extorres aqua & igni interdicebantur.

2. Ratione habitationis. Nihil ad ædes & habitacula omnemque ſuppelle-

ctilem

ctilem ſtruendam aptius ligno eſt. Unde antiquiſſima architectura non niſi lignea fuit. Primi enim mortales in ſylvis habitarunt & ex arborum contextis ramis caſas ſibi contra imbrem & alia cœli incommoda ſtruxerunt; Quemadmodum hodieque univerſa pene Norw. Suecia, Polonia, Lituania, Ruſſia & pagani per totum fere orbem ejuſmodi ligneis caſis utuntur.

2. Ad navigationem. Hic uſus ligni maximus & ampliſſimus eſt, quod enim alia toto orbe materia navibus ſtruendis apta eſt quam lignum. Ergo à ligno univerſa dependet navigatio.

Ad perfectionem igitur Reip. facit ſi Sylvis, lucis & copioſo lignorum proventu abundet. Unde ipſa natura partem terræ non minimam ligno producendo ſepoſuit, ad alia quaſi inutilem & ineptam. Sicut enim campeſtria inſerviunt agriculturæ & paſcuis ſic colles vineis, aſperi montes & confragoſi Sylvis ac arboribus. Unde regiones montoſas ſemper fere videmus eſſe lignoſas quemadmodum aſperrimi Norwegiæ montes undique ſylvis & arboribus conſiti ſunt ad cætera omnia inutiles. Unde Norwegia promptuarium quaſi quoddam lignorum eſt ex qua in univer-

verſamEuropam materia navibus & ædibus ſtruendis defertur, imprimis vero mali optimi.

Regiones igitur quædam in totum ſylveſtres ſunt qualis Norwegia, Suecia, Ruſſia, Lituania & olim Taciti ævo Germania. In his immenſæ ſylvæ in quibus ſparſim excifis arboribus habitatur. Hæ ſylvæ interdum ita exſtirpantur ut plane deficiant; quemadmodum in Scotia olim factum ubi ſylva Caledonia penitus incendio conſumta, ita ut hodie Scotia ferè lignis careat. Sylveſtres hæ regiones non carent ſuis commodis & opibus. Nullibi copioſior venatura: pelles animalium pretioſiores quam in Ruſſia, Lapponia, Polonia. Quis non miretur providam naturæ curam quæ frigidiſſimum illum ſeptentr. angulum immenſa lignorum & pellium copia inſtruxit: nam ſi abſque ſylvis illis foret, & pellibus, habitari non poſſet.

Super omnes totius orbis regiones imprimis mons Syriæ Libanus optimorũ lignorum cópia nobilitatus olim fuit. In eo enim cedrorum copioſiſſimus próventus: ex quibus naves ſuas Tyrii & claſſes, templum vero ſuum Salomon Deo opt. maximo exſtruxit.

At hodie ex omni illa cedrorum multitu-

titudine nonniſi 24. vel circiter ſuperſunt, reliquis omnibus exciſis.

Quemadmodum igitur quædam regiones lignis abundant: ita aliæ magna eorum inopia laborant, ſive id naturæ ſive hominum culpa fiat.

Varia omnino remedia hominum induſtria contra lignorum defectum excogitavit.

Alicubi fimum ſolibus exiccatum urunt, ut in Friſia maxime Orientali.

Vel ſtramine utuntur ut in Saxonia, maxime Principatu Anhaldino.

Vel carbone foſſili quod eſt genus gagatis ut in Scotia & Leodienſi tractu. Hic lapis in Germ. inferiore demum repertus fuit A. 1198. à peregrino quodam qui cum eum fabro monſtraſſet, ſtatim diſparuit, teſte Lud. Guicciardino. Vel ceſpitibus ut apud nos. Unde Plinius de Chaucis: *miſeram eam gentem quæ matrem ſuam urat.*

Unde autem ea lignorum inopia apud nos operæ pretium eſt paulo diligentius indagare.

Fuiſſe olim in his regionibus maximas ſylvas multis argumentis probari poteſt, imprimis vero inde, quod hodieque in profundiſſimis terrarum foveis ingentes arbores velut ordine ſtratæ & adhuc vi-

rides reperiantur. Unde recte colligitur eas ſylvas aliquo caſu concidiſſe ſive proſtratas fuiſſe, quod fieri ſolet terræ motu vel diluvio. Terræmotus apud nos non ſunt adeo vehementes ut tantam ſtragem potuerint edere. Relinquitur ergo aquarum inundatione ſubmerſas & everſas idque ante multa ſecula imo ut nonnulli volunt in ipſo diluvio.

Hic defectus ſive ſit à natura ſive à caſu aliquo in Rep. facile emendari poteſt labore & induſtria, ſi nim. arbores omnis generis conſerantur & ſylvæ artificiales producantur. Quemadmodum omnes noſtri luci, ac ſylvæ hominum cura & induſtria fere productæ ſunt ac indies novæ conſeruntur. Quod ſtudium admodum laudabile & ad rem faciendam utile ac lucroſum eſt, neque reperimus magnopere quod hic admonitione egeat cum paſſim loca ſterilia arboribus conſeri videamus.

Uſus betularum & arborum ad aquam. Sicut in Inſula Ferro arbores ſufficientem aquam ſuppeditant: ſic etiam in Polonia, Lituania, Boruſſia ubi betulæ arbores ſatis grandes & frequentes; in annuo uſu eſt ruſticis verno tempore incidere eas ſecuri circa radices, ſed liquor circa radices aqueus ac pene inſipidus.

dus, meracior qui ex trunco: ſed ſubacidus & optimus qui ex ramis inſitis elicitur. *Helmont*. Lithiaſ. aut uno pede ſupra ac dein bis vel ter magna vi arborem altera ſecuris parte concutere. Unde mox aqua ex vulnere magna abundantia & impetu profluit quã in vaſis ad uſum colligunt. Eſt enim ſubdulcis & ſalutaris potui. Mich. Man. Sept Philoſ. p. 14). vide etiam Fabrum T. II. 125, 126. Hac aqua betularum Germaniæ magnates ex antiquo inſtituto contra calculum utuntur ejuſque uſum commẽdat Helmont l. de Lithiaſi p. 73, 74. quem vide.

Ita perluſtravimus univerſam terræ ſuperficiem ejuſque uſum ad Reip. neceſſ. oſtendimus. Occurrunt inſuper hinc inde arenæ, ſilices de quorum uſu etiam aliquid addendum eſt. Non enim exſtimare debemus nullum alium arenarum & ſilicum eſſe uſum quam ad quem vulgo adhibentur. Sunt quædam arenarum genera ex quibus vitrum conficitur. Olim quidem exiſtimabant non niſi arenas fluminis Beli in Judæa apud Sidonem vitrificari poſſe: ſi is error fuit, propterea quod fere omnes arenæ vitrificantur. Quomodo mercatores introvehentes ad oſtia fluvii Beli vitrum repererint

nim.

nim. glebis nitri ad ignem admotis, unde arena in vitrum fluxit. *Plin.* l. 36. c. 25. **Additur autem tribus arenæ partibus una cujuſdam ſalis ſive nitri ſive foſſilis ſive marini ſive alterius factitii vel cineres herbæ anthyllidis quam Arabes alcali vocant aut ex arboribus combuſtis aut ex filice. Agricola. Salis cujus ope arenæ fluunt & liqueſcunt, unde poſtea in fortiſſimo igne naſcuntur vitra quibus vix quicquam pulchrius in rerum natura reperiri poteſt aut ad vitam humanam utilius.**

Omitto vaſa vitrea omnis generisquibus carere non poſſimus; vel ſolus ille uſus ad feneſtras & lumen accipiendum in Rep. ampliſſimus eſt. Unde Indi vitrum auro longe præferunt ac mirantur eos qui vitro abundant aurum deſiderare. Longe enim meliores feneſtræ vitreæ & ornatiores quã quibusItalia fere utitur ex charta oleo inuncta aut carbaſo De vitris indurandis ut non frangantur ſive ut malleabilia fiant, vid. *Dionem.* l. 57. *Petron.* & *Plin.* l. 36. c. 26.

Sed alius adhuc vulgo incognitus arenarum & ſilicum uſus eſt ad metalla inde elicienda magno lucro & commodo. Fatentur id omnesrerum mineralium periti arenas & ſilices metallorum divites

eſſe.

eſſe. Unde multis in locis aurum & argentũ, vel ſtannum inde rudi opere eliciunt. Sic arenæ fluminum Pactoli, Tagi, Rheni, Danubii auriferæ ſunt.

Aliam vero longe faciliorem & uberiorem metalla ex arenis eliciendi & ſilicibus oſtendit nuper vir inſignis, unde ingentem utilitatem ſpondet Reip. qua innumeri homines abſque ullius damno aut detrimento, honeſtiſſima occupatione ſeſe alere & ſuſtentare poſſint. Totum artificium conſiſtit in his.

I. Ut ſciamus eligere id potiſſimum arenarum & ſilicum genus quod metalli optimi ſit feraciſſimum. Quod fit ſola ferè ignitione. Si enim poſt ignitionem arenarum & ſilicum color eorum mutetur in rubrum vel flavum, certum id indicium eſt latere ibi aurum & argentum.

2. Ut ex his arenis & ſilicibus extrahamus metalla per Spiritum ſalis. Ex ſale communi per diſtillationem elicitur Spiritus ſive liquor acidus, cujus tanta eſt virtus ut omnia metalla (argento excepto) ſolvat & extrahat. Hoc ſpiritu ſalis ſuperfuſæ arenæ vel ſilices contuſi ſuum metallum extrahendum dabunt.

Hic requiritur modus magna copia & facile conficiendi ſp. ſalis.

3. Ut

3. Ut extracta metalla iterum levi artificio à liquore ſeparemus, quod fit per deſtillationem & in corpus reducamus ac more ſolito purgemus.

Duo præcipua rerum ad Remp. neceſſariarum capita eſſe, κτητικὴν & χρηστικὴν diximus, quarum primum in acquiſitione, ſecundum in uſu conſiſtit.

Acquiruntur omnia ad hanc vitam bene ac feliciter agendam ex terra, aqua & brutis animantibus.

In Terra perluſtravimus ſuperficiem hactenus ibique hortos, agros, paſcua, vineas, Sylvas, lapides & arenas.

Plura quidem occurrunt ſed infinitum eſſet omnia perſequi.

Ideo conferimus nos ad interiora terræ ſive ſubterranea.

Cum omnia in humanum uſum à Deo creata ſint & producta, conſequitur non modo exteriorem terræ faciem, verum interiora quoque ejus Reip. uſui inſervire debere, neque ſapientiſſimus naturæ author tantam terreſtris globi molem voluit otioſum & iners pondus eſſe ac inutile ſed pretioſiſſimis theſauris etiam ſubterraneos Specus atque altiſſimos montes inſtruxit. Quare primi & antiquiſſimi mortalium Adam cum progenie ſua non modo terræ ſuperficiem

cium ad uſus ſuos & neceſsitates explendas adhibuerunt, verum inſuper abdita ejus & abſtruſa ſcrutati ſint.

*Nec tantum ſegetes alimentaque debita dives*
*Paſcebatur humus, ſed itum eſt in viſcera terræ*
*Quaſque recondiderat Stygiiſque admoverat umbris*
*Effodiuntur opes irritamenta malorum.*
*Jamque nocens ferrum ferroque nocentius aurum*
*Prodierat.*

Proculdubio primos homines ad inveſtigandum metallum coëgit neceſsitas agriculturæ & Oeconomiæ. Veſtes ipſis Deus confecerat ex pellibus, hæ detrahi animalibus ſola manu non poterant, neque conſui. Dantur quidem lignorum genera quædam & lapidum quæ ſecare poſsint: ſpinis quoque connectimus ejuſmodi, at omnia hæc adeo ſunt imperfecta, ut in conſiderationem venire non poſſint.

Neque hoc modo neceſsitas urgebat, ſed porro carnes coqui, vellera avelli, opus erat diviſione. Dividere unguibus brutorum eſt: at hominum alia conditio. Neque ergo agrum coli, vel

veſtes conſui, vel cibi dividi poterant abſque metallis quæ reperit neceſſitas, excoluit crudelitas, aluit voluptas.

Metalla reperta dico neceſſitate. Hæc triplex. 1. ad victum. 2. ad amictum: hic duplex proximus, velut veſtes, remotus, ut domus. 3. ad defenſionem, unde arma.

Cum primo noſtro parenti pœnæ loco impoſita fuerit agricultura illa laborioſa, conſequitur, multos annos eum tranſegiſſe in moleſtiſſimo vitæ genere. Opus erat victu: is petendus ex agro. Dubitatur an ex beſtiis? Quidam putant ante diluvium eo neceſſitatis perventum. Obſtant; Sacrificia ab Abele oblata Deo. Fateor, pinguia explicari *de lacte & cremore*, ſed hæc non explent ſacrificiorū neceſſitatem quæ in immolatione conſiſtebat. Cum ipſe Deus ex pellibus prima veſtimenta confecerit. quis dubitet oſtenſam fuiſſe hominibus mactationem. Unde pelles, ſanguis & caro: ſanguis Deo oblatus, pelles veſtitui cedebant, carnes eſui.

Inter omnia inſtrumenta ad tria hæc animalium commoda, neceſſum erat inſtrumento quodam ſecante, quod nec lignum nec planta eſſet. Ergo metallum.

Antiquiſſimi igitur homines cum ſcruta-

tarentur interiora terræ inciderunt in mineras metallicas ex quarum gravitate ac pondere facile intellexerunt latere ibidem materiam quandam humanis uſibus neceſſariam. Quare eam mineram terris egeſtam ignibus excoxerunt, unde metallum profluxit, quod cum deprehenderent durum, malleabile ſive ductile, varia inde confecerunt inſtrumenta Oeconomica, ſecures, vomeres, ligones, malleos & quæ porro ad œconomiam & rem ruſticam ſpectant.

Primus a. metallarius fuit Thubalcain filius Lamechi ex poſteritate Caini, qui Gen. IV. dicitur primus erudiiſſe omnem fabrum *ærarium & ferrarium*, Hic eſt gentilium Vulcanus. Prima igitur metallorum genera fuerunt hæc duo æs & ferrum. Æs omnium cenſetur antiquiſſimum: unde prima arma ex ære fuerunt ſecundum Apollonium: M. Argonauticis.

Cæterum ars metallica brevi tempore adeo exculta fuit, ut omnes inde Rerumpubl theſauri ac opes peterentur. Nam Cain pecuniæ inventor fuit teſte Joſepho. Semiramis Aſſyriorum regina multos captivos ad metalla damnavit. Erichthonius Athenienſium Rex argenti venam reperit. Omnium a. mortalium auri

auri & argenti ditiſſimus fuit Salomon, qui navigatione in Indiam Orientalem inſtituta immenſum auri & argenti pondus coacervavit ita ut argentum præ nimia copia vileſceret. Poſtea Midas Phrygiæ Rex ex flumine Pactolo & aliis fodinis tantam auri multitudinem hauſit ut omnia contactu in aurum vertere diceretur. Famoſi etiam fuerunt Colchi apud quos aureum vellus aſſervatum fuiſſe antiqui finxerunt: cujus fabulæ hęc origo atque ratio eſt quod cum fontium complures ex Caucaſo monte manantes ſcaturiant aurea arena divites Colchi ſubſtratis arietum pellibus ſive velleribus arenam in illis ſubſidentem collegerant quæ ſpeciem aurei velleris immixta lanugini præbuit.

Denique mercatura maxime ex metallis initium atque incrementum ſumſit. Phœnices enim vili rerum permutatione ab Hiſpanis compararunt ſibi argentum quod vis ignium ex Pyrenæis montibus expreſſerat; unde immenſæ ipſorum opes neque aliunde Carthaginenſium divitiæ quam ex Hiſpaniæ ditiſſimis fodinis.

Sed non opus eſt antiqua illa & longe diſſita, ſcrutari, veniamus ad noſtra tempora. Germaniam omnium hodie

regionum rerum metallicarum peritiſſimam eſſe nemo ignorat, cunctas ſiquidem nationes peritia metallica ſuperant.

Imprimis ante centum quinquaginta fere annos in montibus Bos, Miſniæ, Thuringiæ ditiſſimæ auri & argenti venæ repertæ fuerunt, unde immenſæ opes ad Saxonicos Principes fluxerunt. Famoſisſima eſt ob id vallis Joachimica; unde Talerorum nomen fluxit, primi enim Taleri in illa valle cuſi qui hodieque Joachimici dicuntur.

Igitur Reſp. quæ fodinis metalli abundat proculdubio magna ad divitias ſubſidia & præſidium habet. Qua felicitate imprimis gaudent regiones montoſæ & aſperæ, plerumque enim montes gignunt metalla. Hinc Hiſpanorum opes ex fodinis Peruvianis, imprimis ex monte Potoſi qui totus creditur ex argento conſtare. Cæterum ars metallica hodie admodum exculta &multis novis inventionibus quibus antiqui caruerunt ditata eſt.

1. Separationem confuſorum metallorum antiqui ignorarunt: ut ſi caſu aliquo ignibus inter ſe confunderentur tria vel plura metalla ea iterum ſeparare non noverant. Unde æs Corinthium ex incendio illius urbis natum videtur.

Unde

Unde Ulpianus in l. 5. paragr. 3. Dig. de rei vindicatione dicit, ſi æs cum auro mixtum fuerit, id non amplius deduci poſſe.

At vero ſuperioribus ſeculis repertæ aquæ minerales tantarum virtutum ut omnia metalla ſua acrimonia corrodant ac à ſe invicem ſeparent.

Sic aurum ab argento aqua forti ſeparatur.

2. Metallorum perfectionem. Ita ut ex imperfectis perfecta efficere laborarit ſive curioſitas humana ſive avaritia, de quo alias plura.

Inter omnia quæ ex terra ad Politicos uſus petuntur & reperta ſunt nihil Sale magis neceſſarium ac utile ad humanam ſocietatem & vitam ſuſtentandam, inquirentibus occurrit. Cum enim multis aliis rebus civitas carere poſſit quæ ſive ad voluptatem ſive ad commoditatem faciunt: Sale abſque interitu & totali ruina carere neutiquam poteſt. 1. Quia cum corpus noſtrum & omnia etiam quæ alimentum præbent corruptioni & putredini admodum ſunt obnoxia, nihil eſt quod ei magis reſiſtat & cum nos tum illa quibus utimur ab omni corruptione potius defendat quam Sal. Exiccat enim ſuperfluos ac pravos humores,

denſat, unit, conſervat, adſtringit, purificat. Unde neceſſariò illã civitatẽ multis morbis refertam eſſe neceſſe eſt, imo brevi tempore interire in qua ſal deficit. Neque ullam reperimus nationem adeo barbaram quæ hoc condimento carere potuerit. De Numidis Salluſtius: *plerumque lacte & ferina carne veſcebantur & neque ſalem neque alia gulæ irritamenta quærebant.* Id quod de rariore etiã planum nullo ſalis uſu accipiendum eſt. Sunt hodieque interioris Africæ populi ab omni hominum conſortio fere remoti qui quotannis morbo quodam ex putredine orto abominati laborant quem alia ratione quam ſalis uſu curare nequeunt, unde ad eum à mercatoribus emendum ſtatis temporibus ad maritima accedunt teſte Cadamuſto cap. XI.

Unde recte ab antiquis dictum *Sole atque ſale nihil humanis corporibus* ſalubrius, uſque adeo ut *Salutem* non minus à ſale quam ſole dictam arbitrentur. Nam tria hæc abſolute ad humanam vitam ſuſt. neceſſ. ſunt *panis, ſal & aqua*. Quidam ex Magiſtris noſtris enarrans illa: *Rex Salem panem & vinum protulit*, ignorans Salem loci nomen eſſe multa de condimenti illius vi & efficacia diſſeruit, Phil. *Mel.* in eloq encomio.

Unde

Unde & in ſacrificiis ſacris ſalis uſus fuit; nec Romani modo verum etiam Hebræorum Sacerdotes capita victimarum ſale adſpergebant, πᾶσα θυσία ἁλὶ ἁλισθήσεται. Marc. 9. v. 50. Unde ſal Platoni θεοφιλὲς σῶμα. Olim in fœderibus paciſcendis ſalis Symbolo uſi ſunt; cum enim inter præcipuas ſalis facultates ſit quod unit, denſat & coagulat, hinc unionis teſſera & ſacramentum fuit. Pacis etiam Symbolum ſal & vitæ quo etiam latrones ad ſocietatem flectuntur. Peluſiota l. 5. Epiſt. Unde per panem & ſalem jurare antiquus mos qui hodieque in Germ. obtinet. Hinc Diabolo *Sal exoſus* eſſe dicitur & ab eo maxime abhorrere; neque in ſagarum conventibus conſpicitur tanquam qui tam divinum condimentum homini invideat ac ereptum cupiat.

Non dubium igitur eſt quin primus homo Adam initio ſtatim rerum ſalis uſum à Deo acceperit eumque ex terra pararit ad neceſſitates ſuas explendas. Unde cum humano genere continua ſucceſſione propagatus eſt. Et cum ejus tanta eſſet neceſſitas, variæ excogitatæ ſunt rationes quibus ejus copiam ſibi compararent Reſp.

Primo mortales eo tantum uſi ſunt quem natura gignit. A natura generatus reperitur vel *in terra* vel retro terram. In terra genitus aut *cæditur* è montibus aut è campis effoditur, aut *ex arenis* quibus tegitur, eruitur. Sunt enim paſſim *Salis montes* multi & illuſtres in orbe terrarum. Alicubi vero è *terra campeſtri* effoditur velut in Polonia hodie copioſiſſimum.

Sub *arenis* autem invenitur juxta Peluſium in Ægypto inter eandem & Arabiam, in regione Cyrenaica, in ſitientibus Africæ locis: qui ſal omnis *Ammoniacus* dici poſſet, ſed ſolus Cyrenaicus nomen illud ſibi vindicavit.

Extra terram a. nativus ſal reperitur vel in fonte aut in fluvio aut in lacu aut ad mare.

Cæterum cum nativi ſalis non ubique reperiretur copia, hominum cura ejus artificioſam conficiendi rationem excogitavit. Imprimis *ex aquis* ſive *marinis* ſive *ſalſis fontanis* & *putealibus* eum excoxerunt. Haud dubium eſt primo omnium ex aqua marina artificialem ſalem factum. Cum enim homines deprehenderent in aqua marina vehementem quandam ſalſuginem, quæ ſolis ardore exſiccata in candidum ſalem

con-

concreſceret, ſtatim reperta fuit ratio aquæ marinæ ſive ſolibus ſive ignibus exhalandæ, quo ſuperſtes ſal maneret uſibus humanis aptus. Adeo ut maritima loca nunquam careant illo uberi ſalis marini proventu.

Cum vero pleræque regiones mediterraneæ ſunt & longius à mari diſſitæ, Deus naturæ author etiam illis hoc ſalis beneficio conſultum voluit. Reperiuntur etiam paſſim fontes ſalini qui in locis à mari remotiſſimis, unde uberrimus ſalis proventus. Olim antiqua Germania ſalis fontes in Hermunduris habuit, pro quibus inter Cattos & Hermunduros crudeli bello certatum ut refert Tacitus 13. An. c. 57. Qui fontes hodieque circa Hallam Saxoniæ reperiuntur: omnium a. copioſiſſimus in agro Dumburgico provenit.

Divitiæ a. quæ ex ſalis tum proventu tum veſtigali ad Remp. proveniunt inæſtimabiles ſunt. Nam hodieque in Galliæ regno nihil eſt quod majorem vim pecuniæ Regis ærario inferat quam ſalis vectigal, cum eo carere nulla ætas, ſexus, conditio poſſit. Cæterum cum aliquando accidere poſſit ut bello vel obſidione urbium Reſp. in ſalis inopiam delabatur, varia excogitata fuerunt

runt contra defectum hunc remedia. Legimus in ſacris literis cum obſeſſa à Syriæ Rege(2Reg.6. 25 )Benhadado Samaria eſſet, inter alia famis incommoda etiam ſalis inopiam fuiſſe. Cui explendæ obſeſſi fimum columbinum adhibuerunt. Non ſane quod ei excrementum cibi loco uterentur, ſed quoniam fimus columbarum ſalis ditiſſimus eſt.

Tota igitur terra ſale turget & impregnata eſt, unde interdum ejus acri ſpiritu exhalante homines & animalia in ſalem tranſmutantur. De uxore Lothi res nota eſt quam in ſtatuam ſalinam tranſmutatam fuiſſe S. Literæ referunt. Id quidem miraculo divino factum dubitari non debet. Cæterum non deſunt exempla etiam alia quibus naturalibus id cauſis fieri poſſe oſtenditur. Sic in cryptis prope Pergamum aliquot cadavera petrificata.

Pariſiis fætus humanus exciſus eſt ab Ambr. Pareo in petram verſus. Sic chirotheca Frid. Imp. ab una parte petrificata intinctu in aquã,ab altera corium manſit.Hæ tranſmutationes fiunt ab odore petrifico.Refert Aventinus l. 7. Ann. Boj. A. Ch. 1348. villicas mulgentes cum vaccis extinctas diriguiſſe in Carinthia & corpora ipſarum à ſpiritu terreno

reno in ſalarias ſtatuas redacta ac à viris fide dignis conſpecta. Et paulo ante illa tempora circa A. Ch. 1320. integra Baſchirdarum Tartarorum ſupra Ruſſiam ad lacum Kitai horda cum armentis, plauſtris & tota ſuppellectile in lapides diriguiſſe feruntur.

Neque vero ex aquis tantum ſalis copiam ſibi comparant Reſp. verum etiam ipſæ terræ pingues & nitroſæ ignibus excoctæ ejus copiam præbent. Qui quidem ſal peculiari nomine *Nitrum* dicitur. Nitri origo ex Ægypto eſt, ubi Nilus inter omnia orbis flumina maximam nitri copiam fundit, cujus vi terra non modo fœcunda redditur anniverſario diluvio; verum inſuper Sale illo copioſiſſime imprægnatur, qui poſtea in Nitrariis officinis excoctus apud urbem Nitriam, Nitro nomen dedit. Et hoc ſale antiqui imprimis utebantur in cibis condiendis.

Cum vero Nitrum illud non ubique reperiretur hominum induſtria paſſim terras pingues & uberes glebas excoxit ac inde Nitrum ſibi confecit artificiale. Et quoniam id natura ipſa ex lapidibus, cementis ac cellariis ſponte exudat, hinc peculiariter *Salis petræ* nomen reperit. Imprimis tamen terræ urina &

excrementis animalium copioſè irrigatæ, optimum Nitrum præbent, quo hodie fere utimur poſtquam nitrum ex Ægypto & Aſia afferri deſiit. Admirabilis hac in re induſtria Sinenſium eſt qui ex re abjectiſſima ingentem nitri copiam excoquunt quod Europæi paſſim imprimis Pariſiis imitantur. Nitro non quidem in cibis utimur ſed imprimis ad bellum gerendum, poſtquam repertus bombardarum & pulveris illius tonitruantis ſive pyrii uſus.

Unde tanta nunc nitri in Rep. neceſſitas eſt ut abſque eo defendi contra hoſtes non poſſit. De prima a. pulveris pyrii inventione & confectione de ejus admirandis effectis, ſeqq. lectione agemus.

Circa A.Ch. 1380. quidam Monachus Franciſcanus Bartholdus Nigrum Chimicus pulverem pyrium caſu & aliud agens invenit. Cum enim nitrum ſulfuri permixtum carbone accendiſſet factum ut id cum horrendo tonitru erumperet, & obvia quæque proſterneret. Unde re propius examinata ex nitro, ſulfure & carbonibus ejuſmodi pulverem ſimulque ferres' tubos confecit, quos cum illo pulvere impleviſſet, vidit ferreas plumbeaſque pilas magno fragore

gore & impetu propelli ac obvia quævis proſterni. Ab his initiis profecta fuit ars bombardaria in univerſum pene orbem. Alii tradunt Alb. Magnum primum bombardam, bombardulam & ſclopum manualem excogitaſſe. Joh. *Matthæus* Lunenſis de rerum inventionibus c. 12. Quanquam ſint qui tradant Sinenſibus dudum eam cognitam fuiſſe de quo merito dubitari poteſt. Quia M. *Paulus* Venetus qui ante quadringentos annos diu inSinis egit omneſque ejus gentis urbes, mores ac caſus deſcripſit nullam hujus tam inſolitæ & novæ rei mentionem facit. De *Salmoneo* quoque tradunt poëtæ eum talia fulmina artificialia paraſſe.

Repertis ita bombardis primum Genuenſes in bello contra Venetos ad *foſſam*Clodiam iis uſi fuiſſe dicuntur ac propter rei novitatem perculſis hoſtibus inſignem victoriam reportaſſe. Eſt enim profecto res terroris plena apud eos qui nunquam audiverunt illud fulmen bellicum. Unde *Hiſpani* Indiam Occidentalem tam facile debellarunt quod barbari tormentorum fulmine perculſi non homines ſed Deos cæleſtes ad ſe perveniſſe exiſtimarent.

Ita omnis penitus belli gerendi ratio immutata per hunc pulverem pyrium.

Anti-

Antiquorum qualis militia fuerit ſatis conſtat. Utebantur illi ſagittis, jaculis, clypeis in pugna: habebant etiam tormenta ſua, arietes, catapultas, baliſtas, quibus immania ſaxa in hoſtes, mœnia, turres ejaculabantur. Et quamvis incredibilem illa vim ac impetum haberent: tamen minus terroris inerat & magno ſumtu ac nonniſi multorum hominum opera exercebantur, facile etiam inutilia reddebantur, ſicuti arietum omnis vis objectu ſaccorum lana ſtipatorum evaneſcebat. At contra tormentorum vim nullum remedium inveniri poteſt nec damni minus ac ſtragis quam terroris inferunt.

Igitur novo hoc invento primum omnis arcuum & ſagittarum uſus abolitus fuit. Qui enim olim in acie & bello *ſagittarii* vel fundibularii, ii hodie ſunt *Moſquettarii.* Vocant enim moſquettas bombardarum genus portatile quod funiculis accendi & explodi in hoſtem ſolet. Itali alio nomine vocant *Harquebuſios*, cujus vocabuli origo ex antiqua militia fluxit. Eſt enim vox compoſita & ſemibarbara *Arcus buſius*, cujus prima pars ab arcu cujus vicem gerit in bellis, altera à voce Italica *buſius*, quod foramen ſignificat. Eſt ergo arcusbuſius ſive harque-

quebuſe idem quod *arcus perforatus*. Cumque major harum bombardarum vis eſſet quam ut loricæ, vel clypei reſiſtere poſſent quibus tamen facile ſagittas propellebantur, hinc loricarum & clypeorũ uſus penitus deſiit. Retenti tamẽ ſunt thoraces ferrei ſive ſolida ex chalybe armatura tantę firmitatis ut globulis bombardarum impenetrabilis eſſet. Rarus quoque clypeorum ex ligno firmo uſus in obſidionibus manſit ad corpus contra bombardas minores defendendum. Sed longe majorem in re militari mutationem ingentia illa tormenta quas *Cartaunas* vocant, procurarunt, quibus omnia fatiſcere & cedere neceſſe eſt.

Igitur primo cum mœnia & turres urbium facile ſubverterentur his majoribus tormentis, ea paſſim abrogata tanquam imparia contra vim & in eorum locũ aggeres & valla ex aggeſtu terræ conſtructa ſunt quibus nim. tormentorũ globis facilius reſiſterent. Habent ſe illa tormenta inſtar fulminis quod dura & ſolida facile conſumit ac mollia illæſa relinquit. Hinc igitur nata eſt nova illa architectura militaris qua urbes ad inexpugnabile robur deducuntur. Alia igitur longe obſidionum hodie & expugnationum ratio quam olim fuit, nihilque ex uni-

univerſa antiquorum militia præter cuniculorum ſubtus terras agendorum ratio retenta. In quibus tamen magnum quoque diſcrimen reperitur. Antiqui enim cuniculos in eum finem agebant ut vel clam in urbem obſeſſam per occultos illos meatus invaderent vel mœnia ac turres ſuppoſitis lignis & incenſis, ſubruerent, cujus primus repertor fuit Petrus Navarrus in obſid. arcis Neapolit. A. 1504.

At hodie cuniculi pulvere pyrio ſtipati ac incenſi cum horrendo fragore & terræ motu cuncta evertunt, neque ulla in obſidionibus certior pernicies quam hæc eſt.

Sic ingenioſa fuit hominum induſtria ex pulvere hoc pyrio mille mortes in perniciem mutuam excogitare. Nam non contenti globos ferreos ac plumbeos recta in hoſtem mittere, inſuper mortaria confecerunt ex quibus globi intus cavi & pulvere pe aliiſque ignibus ſtipati quos *granadas* vocant arcuatim ac deſuper in hominum capita immitterentur ac quaſi defluerent. Unde præter ædium hominumque miſerandam ſtragem, repentina quoque in obſeſſis urbibus incendia excitantur. Sic ut hodierna militia unici hujus pulveris

ve-

veneno, & ſubtus & circa & deſuper præſentiſſimam mortem inferat.

Omitto quantum exitii integris urbibus inferatur ſi magna illius pulveris nitroſi copia ſive cœleſti fulmine ſive hoſtium inſidiis aut alio caſu incendium concipiat, quam calamitatem urbs Mechlinia A. Ch. 1546. Brefordia in Zuth. Comitatu A. 1645. & Tigurum ante biennium ſenſere.

Poſt omnes has machinationes reperta hoc ipſo anno nova ex pulvere pyrio ignis inextinguibilis ratio fuit, qua naves hoſtiles incendi & comburi irremediabiliter poſſunt. His ignibus noſtri in nupero contra Anglos navali prælio feliciter uſi fuerunt. Equidem antiqui aliis artibus ſive hoſtiles naves in captivitatem ſuam redegerunt ſive combuſſerunt ut Saracenicæ claſſi factum, artificioſis ignibus à Gallinicho quodam circa A. Ch. 664. vel 679. non primitus repertis ſed in uſum revocatis. Quod vel per artificioſos ignes factum vel ope ſpeculi concavi & comburentis. Notum enim eſt ſpecula uſtoria metallica ſecundum parabolen, ut vult Archimedes & antiquiores vel potius ellipticam quod recentioribus placet, (Cæſius de Mineral. lib. 3. cap. 10. ſect. 6.) Ergo ſpeculum uſtorium elli-

ellipticum prẹfertur reliquis omnibus, facta radios ſolares tanta vi concentrare ut etiam procul diſſita incendantur, quod feciſſe Archimedem in obſidione Syracuſarum & Proclum ſub Anaſtaſio, qui claſſes incenderunt hoſtiles, refert Zonaras.

Hactenus interiora terrarum perluſtravimus & oſtendimus quantum inde boni & commodi ad Remp. redundet. Præter hæc occurrunt adhuc, quæ in rebus terreſtribus pretioſiſſimæ habentur, omnis generis gemmæ & pretioſi lapides. In quibus effingendis natura quicquid pulchritudinis habuit ac virium oſtendere voluiſſe videtur. Nulla enim eſt naturẹ pars vel in elementis vel in animantibus vel in plantis quã natura velut laſciviens & expreſſerit in gemmis.

Antiquiſſimis igitur jam temporibus gemmis pretium non tam impotens hominum libido quam ipſa eorum elegantia & dignitas ſtatuit. Cum enim lapillos incredibili pelluciditate ac colorum varietate reperirent, id quod res erat conjicientes magni pretii & virtutis eſſe, ad Principes Regeſque eos detulerunt. A quibus, ut digniores ſe reliquis hominibus oſtenderent, aureis coronis ac veſtimentis inſerti ſunt. Unde Regum Diade-

demata ac purpuræ gemmis & auro fulgentes.

Inter omnes a. lapides pretioſos non quidem elegantia ſed virtute ac uſu præſtantiſſimus eſt magnes. Ingens naturæ miraculum, cujus virtutes nemo antehac recenſere omnes vel penetrare potuit. Tam neceſſarius Reip. maritimæ ut abſque hoc lapide ſubſiſtere non poſſit maneretque longe maxima orbis pars inacceſſa nobis abſque hujus magnetis ope & directione foret.

Igitur magnes caſu inventus fuit in fodinis metallicis. Cum enim foſſores labore perfuncti cuneos & malleos de manibus in ſolo cuniculi, ut fit depoſuiſſent aut abjeciſſent, poſtero die ad eundem laborem redeuntes, inſtrumenta repererunt ad ſuperiorem lateris partem ex qua lapidis virtute attracta pendebant: quod ipſi harum rerum rudes admirati Dominis indicarunt. Sed & alio caſu detectam lapidis hujus virtutem narrant, nimirum à paſtore quodam cui nomen Magneti qui cum in monte Ida armenta paſceret & crebro clavis crepidarum ac baculi ad lapidem adhæreſceret, primus detexit virtutem illi ferrum attrahendi ineſſe, quare ipſe magnes ab eo nomen impoſterum tulit,

Ap-

Appellatur etiam Herculeus lapis ſive ab Hercule inventore ſive alias ob rationes. Sed non evagabimur in omnia magnetis miracula: tantum uſus ejus & neceſſitas in Remp. oſtendendus eſt.

Antiqui magnete ad nullam fere rem magni momenti utebantur ignorantes nim. veram ejus & principalem virtutem. Præcipuum fuit quod Dinocrates architectus Alexandriæ Arſinoës templum concamerare inſtituerat ut in eo ſimulacrum ejus è ferro, pendere in aëre videretur. Interceſſit mors & ipſius & Ptolomæi qui id ſorori ſuæ fieri juſſerat. Quod poſtea imitati perhibentur Arabes, qui ferreũ feretrum in quo conditus dicitur Mahumed, Meccæ in templo vi maticapenſile reddiderunt. Sed hanc vulgi fabulam eſſe conſtat. Neque enim Meccæ ſepultus Mahumed ſed Medinæ, nihilque hujus apud ſcriptores Arabes reperitur.

Recens a. ac miraculoſum inventum eſt uſus magnetis in re nautica. De quo ut res planior fiat, quædam de antiquorum navigatione, qualis illa fuerit, ſupra petenda ſunt.

Præcipua rei navalis gloria antiquo orbe penes Phœnices, Tyrios ac Carthaginenſes fuit; hi enim omnes reliquas orbis

orbis nationes navigandi peritia & mercaturæ ſtudio ſuperarunt. Navigarunt a. non modo internum mare quod mediterraneum vocant, verum ipſum quoque Oceanum, quod ex Tyriorum ac Salomonis navigatione in Ophir, id eſt *Indiam Orientalem* patet, & ex Carthaginenſium navigatione extra Herculis columnas, in Oceano Atlantico, circa Africam. Quinimo ut indubiis argumentis probari poteſt in ipſam uſque Americam. His ita præmiſſis nunc illa manet dubitatio qua ratione antiqui illi in vaſto Oceano navigare potuerint. Opus enim habebant aliquo directore viæ. Quamdiu enim juxta littora & continentem vel inſulam navigabant, tum facile ex promontoriis montibuſque, ubi verſarentur, colligebant. At in alto verſantibus Oceano ubi nil *niſi pontus & æther*, alia præſidia quærenda fuerunt, niſi inextricabili errore perire vellent & nunquam ad deſtinatos portus venire.

Antiqui igitur Tyriorum nautæ, cum Aſtronomiæ peritiſſimi eſſent, Urſam majorem & minorem, quarum illa Helice, hæc Cynoſura velut centrum quoddam ac regulam navigationis ſuæ & curſus inſtituendi ſibi propoſuerunt. De quo innumera apud antiquos teſtimonia extant. Sunt

Sunt tamen qui antiquis etiam uſum magnetis in re nautica & pixidem notam fuiſſe velint, quos inter Levinus Lemnius l. 3. de occultis naturæ miraculis c. 4. eamque nomine *verſoriæ* à Plante denotatam fuiſſe in Mercatore, cum inquit: *Hic ventus nunc ſecundus eſt cape verſoriam.* Et in Trinummo: *Cape verſoriam, recipe te ad herum.* Sed horum opinionem recte rejicit Adr. Turnebus 2. ado. c. 4. ubi oſtendit verſoriam apud Plautum nil aliud eſſe quam funem quo velum vertitur. Quod vero ſpectat navigationes Tyriorum in Indiam orientalem, eæ juxta littora fieri potuerunt unde triennales fuerunt. Una difficultas, quomodo in Americam navigarint procul à continente. Id quidem ſic factum exiſtimamus. Navigabant juxta Africæ littus uſque ad Fortunatas, dein à Tropico Cancri recta flantibus ſtatis & annuis ventis abſque errore deferebantur in Inſulas orbis novi. Quanquam illa navigatio propter difficultatū ac pericula mox intermiſſa fuerit unde omnis notitia illius orbis periit, & exiſtimatum fuit Oceanum Atlanticum eſſe innavigabilem ac extra fortunatas navigari non poſſe.

Recens igitur nauticæ pyxidis inven-

tio

tio & uſus, antiquis plane incognitus. Quis vero hujus tam admirandi inventi author, ut fere in aliis, non ſatis conſtat. Plerique inventam in Italia à Flavio quodam Amalphitano quæ regni Neapol. civitas, volunt; idque ante trecentos & quod excurrit annos. Certum eſt uſum ejus Europæis incognitum fuiſſe ante annum Chriſti 1300. ab eo tempore increbuit & à Venetis, Genuenſibus, Luſitanis, Anglis penes quos maris imperium, excultus.

Nam hujus pixidis & magnetis ope detecta fuit India Orientalis pariter & Occidentalis, id eſt longe ampliſſima & maxima orbis totius pars.

Inter cætera igitur inventa prima admiratio debetur pixidi nauticæ, quippe qua tot ſulcantur maria veteribus nec navigata nec nota & cui tot hominum ſalus, tantæ varietates mercium, tanta pecuniæ vis credita.

Quemadmodum igitur tota antiquorum militia abrogata ac reformata invento pulvere pyrio ſicut nuper dictum: ita omnis quoqueres nautica quodque ad maritima ſpectat negotia, emendatum, correctum, perfectum & immane quantum illuſtratum ac adjutum fuit reperta pyxide nautica. Ut nunc in vaſtiſſimo

ver-

verſantibus Oceano, etiam omni cœlo nubibus tecto & denſiſſima nocte ſemper conſtare poſſit in quam plagam dirigenda navis.

Hactenus terræ tum ſuperficiem tum interiora atq;abdita rimati ſumus&quantum inde ad Rempubl. theſaurorum ac emolumenti perveniat oſtendimus. Sequitur ut relictis terris ad aquam nos conferamus & Ponti cærulea regna perluſtremus.

Inter illa quæ Deus ad uſum humanum condidit ſecundum locum aquæ obtinent, quibus quanquam homini non præbeant ſtabilem ſedem & habitationem, earum tamen uſu & commodo carere haudquaquam poteſt. Alteram enim conſtituunt alimentorum ſpeciem; cum enim homo indigeat non ſiccis modo & quæ ſua ſoliditate nutriunt quales cibi ſunt: verum etiam humidis & liquidis ad internum calorem temperandum: inter omnia potus genera & primum atque antiquiſſimum & univerſale fuit aqua. Primi enim homines ac antiquiſſimi, aquæ potores fuerunt & ſicut frugibus ſponte natis ac ſine labore & arte paratis famem: ita limpido fonte ſitim ſuam ſolabantur. Unde omnes pene urbes, oppida ac pagos, fluminibus,

rivis,

rivis, fontibus, appoſita videmus. Et vehementer peccetum ab illis qui has commoditate neglecta in ſiticuloſis plagis unde procul petenda vel derivanda aqua ſedes ſuas collocarunt, quæ civitates etiam raro emergunt ſed ſolitudo & vaſtitas manent. Antiqui Germani: ut fons, ut nemus ut campus placuit.

Cæterum præcipuæ quæ ad Rempubl. ex aquis veniunt utilitates hæ ſunt.

I. Quod flumina naturale contra hoſtem munimentum ſunt. Unde prudenter C. Auguſtus amnibus longinquis, Eufrate, Rheno, Danubio, circumſcripſit Imperium Romanum. Magna enim flumina foſſarum ingentium ſpeciem præbent ac contra repentinam hoſtium incurſionem ſingulari præſidio ſunt. Sic noſtra Reſp. undique navigabilibus flu-minibus velut in orbem cincta eſt hinc Moſa & Vatrali, inde Rheno, Iſala & Amiſia.

II. Quod ad commercia exercenda ingens præbeant momentum. Flumina enim navigabilia tranſportandis ac invehendis mercibus incredibilem præbent commoditatem. Neque aliunde urbium opes & divitiæ. Sic antiqua Babylon Eufratem, Ninive Tigrim, Roma Tiberim: ſic hodie omnia quæ excel-

lere videmus emporia fluminibus appoſita ſunt. Paucæ enim admodum repeꝛiuntur populoſæ, divites & famoſæ urbes quæ hoc commodo carentes, emerſerunt ad magnam celebritatem. Quales in Germania Noriberga, in Gallia Lemovices, & olim Hieroſolyma fuerunt, urbes ſterili ſolo & vel arenis vel ſaxis impoſitæ fluminum egentes.

III. Quod ſemper ad ripas fluminum fertile ſolum & agri paſcuaque irrigua; unde frumenti, armentorum piſciumque copia quibus civitas ſibi opes & præſidium facile comparare poteſt.

IV. Omitto nunc innumera alia quæ à fluminibus in Rep. dependent. Ut molarum omnis generis artificia, ubi aquæ ſpontaneo fluxu & impetu, machinæ quantumvis magnæ perpetuo circumrotantur quod ad plurima opificia exercenda imprimis neceſſarium eſt.

Reſtat ut de aëre quoque nonnulla addamus. Nihil nunc de eo dico quod aër ad animalium in terra viventium reſpirationem adeo neceſſarius ſit ut eo intercluſo vita vel ad exiguum ſpatium continuari queat. Aëris puritas & ſalubritas imprimis ſpectanda venit. Equidem ad bene conſtitutam Remp. etiam inter alia requiritur ut aërem purum & defæ-

defæcatum habeat. Hinc enim non corporis modo ſanitas dependet: verum etiam animi alacritas, ingenii ſagacitas & prudentia incolarum dependet. Unde civitates loco inſalubri ſitas, ubi aër nebuloſus, putris & peſtilens, brevi concidiſſe videmus. Sic Alexandria Ægypti civitas olim florentiſſima: at quia loco inſalubri poſita & aër ejus propter viciniam paludis Mareotidis pene peſtilens, hodie nonniſi magna ſolitudo eſt.

Sic Illyricum, Dalmatia, hodie pene deſolatæ regiones ſunt ob aëris inſalubrem conſtitutionem. Fateor interdum lucri cupiditatem etiam loca inſalubria facile perferre: cuncta enim mala & pericula ſpernit ac ſuperat avaritia. Quemadmodum vicina nobis Amſtelodamum.

Neque ad corporum modo valetudinem plurimum conducit aër, verum ipſe quoque animum afficit quod potiſſimum ſpectandum eſt. Referunt antiqui Athenis cœlum fuiſſe clemens, aërem ſubtilem ac purum: unde Athenienſes ſagaces, acuti. At Thebis quę tamen urbs vix diei itinere diſtabat, aër craſſus, pinguis, unde ingenia ſtupida. Hinc

*Bæotum in patria craſſoque ſub aëre nati.*

Tantam nim. vim habet aër ad ingenia hominum formanda. Sic hodie Italis palma ingenii tribuitur quod Italia benigniſſimum habeat aërem & medio temperamento inter Galliæ frigora & Hiſpanorum calores ac æſtus poſita ſit.

Unde Auſtrales, Afri, Arabes, calli-diores Septentrionalibus, ſicut enim fruges ſolibus excoctæ ſapidiores: ita ingenium quoque ac corpus aëre ſuavi & benigno temperatum ac fotum maturiores & meliores profert.

Neque hunc modo uſum aër præbet quod ſanitatem corporis ac ingenii vigorem tueatur, alia quoque ſunt quibus Reſp. carere nequit. Eſt enim proprius ventorum & pluviarum locus quæ duo quantum uſum habeant ad Remp. nunc videndum eſt.

Et quidem ut à pluviis initium faciamus, quis eſt qui neſciat abſque ipſis ſterilem fore ac inutilem omnem agriculturam? Utcunque enim agrum habeas bene præparatum&fertilem,ſemina etiam lecta& *multo medicata labore*,exareſcent tamen omnia nimiis ſolis ardoribus niſi cœleſti pluvia ſubinde conſperſa refocillentur? Fateor eſſe regiones quaſdam quæ abſque pluviis fertiliſſimæ qualis Ægyptus memoratur eſſe.

De

De qua Poëta: *nec pluviæ ſupplicat herba Jovi.* Pluviis igitur caret Ægyptus & tamen agri ejus fertiliſſimi. Cujus miraculi cauſa eſt in ſolo atque unico Nilo. Quippe Nilus omnem pluviarum defectum abunde compenſat anniverſaria ſua inundatione, qua totam Ægyptum irrigat & limo ac nitroſis & pinguibus undis fertilitatem agrorum promovet. Fit a. illa exundatio Nili à ſolſtitio æſtivo uſque ad æquinoctium autumnale. Ergo tempus menſis Auguſti. Dies incerta eſt, plerumque tamen circa medium Auguſti. Diligenter a. menſura creſcentis Nili obſervatur quia inde omnes Ægypti ſpes dependent. In quem finem columna exſtructa eſt cubitis diſtincta. Ima menſura eſt ſedecim cubitorum: atque hinc certa fames: ſumma eſt 26. cubitorum, atque hinc quoque ſterilitas & fames. Menſura a. juſta ac media eſt cubitorum 20, 21, 22. idque certiſſimum ac infallibile fertilitatum & abundantiæ argumentum. Quo quidem tempore tota Ægyptus undis ſubmerſa eſt: ſolæ urbes, oppida, pagi, collibus in eum finem impoſiti & tumulis ſupereminent ac ſpeciem innumerarum inſularum præbent.

Atque hinc facile intelligimus quæ ratio ſeptem annorum fertilitatis & ſteriili-

rilitatis fuerit tempore Pharaonis. Septem enim annis Nilus ſive nimium excrevit unde ſata ſuffocata: ſive minimum unde ſolibus peruſta, quorum poſtremum potius credendum quia Pharao ſeptem ſpicas macilentas & peruſtas vidit.

Igitur quod pluviis Ægyptus carere poteſt id non trahendũ eſt ad alias regiones quæ ſimili fluminis anniverſaria inundatione fœcundantis beneficio carent. Quanquam neque hoc prætereundum ſit, Ægyptum non omnino pluviis carere. Pluit enim verſus mare & Nili oſtia menſe ſeptembri, menſe decembri a. in locis mediterraneis ter quaterve una vel altera hora ut Radivilius teſtatur. Ita Joh. Wild. l. 3. Itin. c. 73. affirmat ſe aliquoties Alcahire vidiſſe magnos imbres menſe Jan. & Febr. Alexandriæ a. & Reſchidi interdum per 10. continuos dies propter matis viciniam pluere.

In univerſum a. omnes regiones & Reſp. pluvia indigent. Illis deficientibus ſata exareſcere ac intermori, languere homines pariter ac pecora videmus. Quid quod integri exercitus ejus inopia perierint ac copia refocillati ſint? Ut Antonini Pii & Alex. M. Ac nullus quidem locus natura pluviis caret & exemtus

eſt:

eſt:quia undiq; cœlum ac nubes. Sunt tamẽ regiones quę vel nimia ſiccitate laborant vel continuis pene pluviis obruuntur. Nimia ſiccitate laborat Hiſpania & Apulia. Unde ſterilis niſi ad ripas fluminum & littora. Nimiis pluviis Anglia, ubi aër ita humidus ut frequentiſſimæ pluviæ. Et ſicut de Rhodo dicitur eam ea aëris puritate gaudere ut nulla dies ſit quin ſol conſpiciatur. Unde clara Horatio dicitur: Sic de Anglia dici ſolet nullam fere diem eſſe qua cœlum non ſit nubilum. Idem de Heidelberga jactatur quam propter frequentes imbres matulam Jovis Studioſi vocare ſolent. Et plerumque oppida inter montes ſita ac conclusa exhalationum copia laborant quæ facile in pluvias commutantur. Unde raro in magnas urbes excreſcunt. Ventorum a. uſus non minor fere quam pluviarum eſt. Faciunt enim tum ad molas circumagendas, tum imprimis ad navigationes.

Hactenus emenſi ſumus terras, aquas & aërem, tria præcipua Reip. elementa: ſequitur ut omiſſis inanimatis ad animalia nos conferamus eorumque non uſum minus quam neceſſitates oſtendamus.

In prima ſtatim omnium rerum creatione dominium homini plenum *in piſces*

maris, volatilia cœli, beſtias terræ datum ac poſt diluvium Noacho repetitum auctumque fuiſſe legimus. Quare hominum genus in univerſum animantibus ad cibum & alias vitæ neceſſitates ſemper uſum fuit, paucis quibuſdam exceptis qui iis religione quadam ſive vana perſuaſione tacti abſtinendum putarunt.

Hic vero primum inquiritur an ante diluvium homines animalia comederint ſive carnes eorum?

Sunt enim quibus non videtur. Hi volunt & ſacrificia cruenta & eſum carnium ac bibitionem vini demum poſt diluvium cœpiſſe, in qua ſententia Porphyrius, Plato, Empedocles.

Thalmudiſtæ ante diluvium holocauſta in uſu fuiſſe volunt unde nihil ad homines perveniret & per quæ Deus vitæ & necis Dominus agnoſceretur. Carnium a. uſum demum poſt diluvium cœpiſſe.

1. Quia tum demum ejus mentio fiat Gen. 9. 3.

2. Quia hinc longa hominum vita quod herbis ſalubribus veſcerentur.

Sed verior ſententia & ſacrif. cruenta & eſum carnium jam ante diluvium fuiſſe.

1. Quia ante diluviumpaſtores. Non eſt autem probabile eos tantum ob lac & lanam paviſſe armenta & greges.

2. Quia prima hominum veſtimenta ex pellibus.

3. Quia ingens ante diluvium in cibo & potu luxus Matth. 24. 38.

Sic Abel legitur ſacrificium obtuliſſe de primogenitis gregis ſui.

Exc. eum lac & butyrum obtuliſſe. Reſp. Hoc contra textum, neque enim lac & butyrum ſunt primogenita gregis.

Exc. 2. primam carnium mentionem fieri demum poſt diluvium.

Reſp. etiam panis, vini, Iridis.

Specialis cauſa fuit cur Deus poſt diluvium illud primævum jus in animalia repeteret. Sicut etiam illud: creſcite & multiplicamini.

Quare uſus animalium ad victum & amictum univerſalis fuit, paucis quibuſdam nationibus exceptis. Nim.

1. *Ægyptiis:* qui tamen non omnibus omnium carnibus abſtinuerunt ſed quibuſdam tantum.

2. *Brachmanibus.* Brachmanes Indiæ natio & gens in hanc uſque diem à cæde animalium abſtinens.

3. *Pythagoreis.* Pythagorei quoque. Communis enim hujus à carnibus abſti-

nentiæ cauſa fuit perſuaſio de μιτεμψυχώσει animarum, de quo Ovid. lib. 15. Metam.

Inter animalia homini in cibum conceſſa, primum occurrunt aquatilia ſive piſces, ex quibus integræ nationes victum ſibi petierunt quales olim Ichthyophagi in Africa & India, Chelonophagi. Quos inter Monachos imitantur Carthuſiani quod non niſi piſcibus victitant. Adam piſcibus non impoſuit nomina. Piſcatura non fuit ante diluvium.

Sic hodie Iſlandi, Norwegi boreales, non niſi piſcibus frigore induratis & contuſis in farinam pro pane utuntur.

Quantas a. commoditates ubera piſcatura Reip. præbeat hinc facile cognoſci poteſt quod ex Salmonum, halecum & balænarum captura major ferè quam ex alia quavis mercatura quæſtus provenire ſoleat. Nihil nunc dico de conchiliorum & muricum piſcatura unde purpura olim confecta. Ea enim hodie neglectu periit.

Et de duabus poſterioris piſcaturæ generibus paulo exactius agendum eſt.

Equidem inter duo Reip. Belgicæ præſidia duplex piſcatura, minor halecum & major balænarum ponitur.

Quibus nim. amiſſis haudquaquam

ſtare

ſtare poſſet. Sola enim Hollandia ad 30000. familiarum quotannis ex piſcatura alit.

Halecum piſcatura demum ante ſecula duo circiter cœpit. Nullius enim piſcis fœcundior proventus quam halecum quas Deus propterea produxiſſe videtur ut & balænarum & hominum cibus eſſent. Itaque incredibili multitudine in Oceano ſeptentrionali ſubnaſcuntur & ad Norwegiæ, Scotiæ & Angliæ littora capiuntur. Primus a. qui condere muria hoc piſcium genus docuit fuit quidam Batavus cui nomen Willem *Beukel*, unde & ipſa conditura nomen ſumſit, ſepultus in pago quodam Zelandiæ. Cujus quidem inventi tanta eſt dignitas & utilitas ut ipſe Carolus V. ſepulcrum ejus adire & tanquam Herois venerari voluerit. Incredibile fere eſt quantam pecuniæ vim ex ea piſcatura Hollandi ſibi corrogent, inquit Cambdenus.

Ita conditi muria haleces navibus per univerſum orbẽ diſtribuuntur & imprimis Italiæ, Galliæ, Hiſpaniæ ac borealibus regnis pro alimento ſunt. Ac vix carere illis poſſet humanum genus.

Sed Balænarum captura non minoris momenti eſt. Ea hodie exercetur ad Gronlandiæ & Spitsbergæ littora, ſub

ipſo fere polo arctico. Ibi enim Balænarum ingentium patria & conventus eſt. Ibi illa maris monſtra facili negotio capiuntur & ad uſus Reip. applicantur. Quotannis enim magnæ ex Belgio, Anglia, Dania & Suecia claſſes ſolvunt ibique capiendis balænis exercentur. Unde crebra litium materia inter nationes & nuperum hoc infelix bellum Anglo-Batavicum inter alias ſive cauſas ſive prætextus etiam hanc piſcaturam habuit. Balænæ autem non ſunt eſui ſed ex illis pinguedo excoquitur qua ad uſus nauticos alioſque carere non poſſunt.

Quomodo enim capiantur Balænæ &c. ubi appetente ſolſtitio æſtivo Spitſberga appulerunt nautæ, quando per tres quatuorve menſes dies iſtic continuo eſt eorum unus in eminenti rupe littoris excubia agit donec aliqua balæna, ſpiraculo quam duxit interius ut ſe refrigeret, aquam evibrato jactu difflet in aëre: tum dato ſigno plures in cymbis appropinquant belluæ & telum haſtili cui funis adhæret, infixum ſummo niſu quam poſſunt alte ipſi imprimunt & illico totis artubus incumbunt remis, ut ſe omnes proripiant extremum vagi funis ducentes manu. Bellua vulnere ſaucia quaſi fugiens telum quod ipſi adhæret

ima

ima petit Oceani; miras aquarum turbationes excitat, redit in altum, emergit, volvitur in omnem partem indignatione percita, donec poſt unam & alteram horam exhauſtis viribus & effuſo ſanguine enatet. Redeunt nautæ & ovantibus ſimiles prædam fune ſubducunt in littus, mox ſtantes monſtrum aſcia diſſecant in fruſta, illius lardum quod in ahenum caldarium conjiciunt igneque ſuppoſitum copioſum inde oleum excoquunt.

A piſcibus progredimur ad aves ſive volatilia, quorum alia ſunt domeſtica ac cicura alia fera. Utraque autem inſignes uſus Reip præſtant, non modo ad victum verum etiam cubitum. Inſtruxit natura quaſdam regiones adeo uberi avium proventu ut incredibile videatur unde omnis illa multitudo proveniat. Ad Scotiam inſula eſt ſive rupes potius Baſſa nomine quæ Auguſto menſe albicat præ multitudine anſerum marinorum qui ex auſtro huc convolant. Secundo ab adventu die, ſi è domo egrediatur nullus, ligna cogunt quantum & ſuis nidis & caſtelli cuſtodibus in annum ſufficit. Mox ponunt ova, fovent, excludunt, aluntque pullos delicatis piſcibus quos ex ſubjecto mari venantur unde Domino inſulæ non ex illis modo

modo piſcibus clam ſubtractis verum imprimis ex innumerabili illa ovorum, avium, plumarum copia magni quæſtus ſubnaſcuntur. Sic olim circa Texeliam inſula fuit cujus incolæ ovis victitabant teſte Julio Cæſare unde hodieque Eyerlandia dicitur, & integræ nationes onorivoræ quarum P. Mela meminit.

Inter aves autem ſummum Principatum communi conſenſu obtinuit *aquila* veri Monarchæ exemplar ac ſpeculum. Quæ immani corpore & late expanſis alis ipſas nubes ſuperat & irretortis oculis ſolem intuetur. Unde Jovi ſacra fulminibuſque præfecta quia raro aut nunquam illis læditur & percutitur. Cujus quidem ratio eſt quod ſuborta tempeſtate, & atris nubibus cœlum ſtipantibus ex hac infima aëris regione in ſupremum volatu ſeſe extollit ubi aër purus & ſerenus, nullis fuliginibus infectus. Habere & aliud privilegium quod longævitate alias omnes aves ſuperet. Non enim ſenio nec morbo ſed ſola fame oppetit: creſcentibus enim annis & roſtrũ in tantam longitudinẽ creſcit ut aduncitas ſuperior inferiorem ſuperet adeo ut roſtrum aperire nequeat & ſic jejunio contabeſcat. Aliquando tamen roſtrum in ſaxa & rupes quatit ac rumpit & ſic quæ

per

per menſes jejunaverat, refocillata copia ciborum rejuveneſcit. Plumæ etiam miram exercent actionem in aliarum avium plumis omnibus corrumpendis ac corrodendis.

Hinc Romana Reſp. qua nulla unquam ſublimior fuit Aquilis inter imperii ſui inſignia utebatur, quia Romulus cum urbem conderet duodecim aquilas volantes vidit. Aquila militare Rom. ſignum eaque hodie duplex qualis in filicum radicibus diſſectis cernitur.

Hic vero quis dubitare poſſet an jure aquila Principatum ſibi inter aves adſcribere poſſit cum longe majora de Phœnice referat antiquitas. Hunc ſexcentis annis vivere fama eſt & aquilæ eſſe magnitudine, aureo fulgore circa colla & per totum corpus purpureo eſſe colore cœruleam roſeis caudam pennis diſtinguentibus, criſtis faciem caputque plumeo apice honeſtantibus oculiſque micantibus. Qui poſtquam ſenuerit caſſiã thuriſque ſurculis conſtruere nidũ replere odoribus & ſuperemori. Ex oſſibus v. & medullis ejus enaſci primo vermiculum inde fieri pullum. Hæc & alia Plinius.

Quæ vera ſint an fabuloſa diverſimode

mode judicatur:propius tamen eſt ut credamus ita ad miraculum conficta eſſe, quanquam naturæ non repugnet ex cadavere novum animal enaſci ſicut bombyx tumulum ſibi & ſepulchrum ipſe parat antequam moriatur, è vermiculo fit papilio volans.

Operæpretium eſt ex Tacito ſi non veram at elegantem ſane narrationem de Phænice intelligere ex VI. Annal. 28.

De uſu & neceſſitate avium in Rep. & nonnihil de Principe reliquarum, aquila & fabuloſo an vero Phœnice diximus.

Omnia minutim perſequi immenſum eſſet. Omitto delitias quæ ex illo animantium genere Apitiorum menſas replent & ſuaviſſimum illum concentum quo vel ædes noſtræ vel ſylvæ ac prata reſonant: duo tamen commoda quæ ex avium plumis redundant, præterire non poſſum. Quorum quidem unum ad mollitiem & deſidiam facere videtur: alterum incomparabile plane eſt & divinum. Utimur enim plumis avium tum ad cubatum tum ad ſcriptionem. Hinc enim lecti pluma molliſſima ſtipati, hinc calami ſcriptorii proficiſcuntur.

Haud dubium eſt antiquiſſimos mortales primo quidem nudo ſolo incubuiſſe & terram matrem pro culcitra, cœlum

lum pro ſtragulo habuiſſe. Ita ipſum in Paradiſo Adamum primos ſomnos cepiſſe certum eſt, ſub umbroſa & viridantibus ramis patula arbore & in vernante floribus gramine. Poſtea cum ſoli pariter & ambientis aëris incommoda ſentirent, exſtructis caſis & mapalibus, etiam feſſa diurnis laboribus membra mollius ad quietem compoſuerunt, ſubſtrato ſive gramine ſive arborum foliis ſive alia molliori materia. Imprimis tamen animalium pelles & exuviæ hunc uſum præſtabant; unde poëta

*Pellibus incubuit ſtratis ſomnoſque petivit.*

Pelles nim. quibus de die nudũ corpus tegebant, noctus gratum feſſis ſanos & dulces ſomnos præbebant.

Serius cultæ occidentis nationes avium plumas fovendo corpori admoverunt, imprimis qui voluptati ſtudebant: idque apud priſcos Græcos pariter & Romanos receptum fuit. Martialis lib. 14. *Laſſus Amyclæa poteris requieſcere pluma.* Unde culcitræ plumeæ inter voluptatum inſtrumenta numerabantur.

Neque vero uſus ille voluptati tribuendus: proſpicere nim. natura hominum infirmitati & miſeriis voluit. Quid enim ægris ac membrorum dolore affe-

affectis magis neceſſarium quam molliter cubare? & artus ſuos plumis refovere?

Sed miſſo hoc uſu qui univerſalis nunc per terrarum orbem eſt, accedo ad alterum cujus neſcio an ſatis magnifice unquam deſcribi poſſint commoda.

Quam late enim ipſius ſcripturæ *uſus ac neceſſitas patent* tam late ſe quoque calami ſcriptorii uſus & neceſſitas extendunt. Quis primus literarum inventor, Adam an Seth, an vero poſt diluvium demum repertæ fuerint & à quo, hic non eſt neceſſe commemorare.

Satis ſit non reperiri ullum ſcriptum Moſe antiquius: ut vel is primus literarum fuerit repertor vel ſaltē eo antiquiorem non noverimus. Neque vero initio ſtatim is qui nunc obtinet, ſive papyri ſive calami uſus fuit.

Antiquiſſimi enim cum characteres quoſdam exprimendis vocabulis repeiſſent primo eoſdem non ſcribebant ſed incidebant. Materies a. cui literas ſuas incidebant fuere primo quidem ſaxa & lateres. Notum eſt quid de duabus lapideis Sethi columnis Joſephus lib. 1. c. 2. referat. Sic de lapideis Moſis tabulis Plinius quoque l. 7. c. 56. refert Babylonios & Phœnices leges atque inſtituta
ſua

ſua inſcripſiſſe coctis laterculis. Unde *laterculum* pro indice à latinis uſurpatur. Tacitus xi. Ann. c. 14. *Antiquiſſima monimenta memoriæ humanæ impreſſa ſaxis cernuntur.*

In eundem uſum ligna quoque adhibita & ad majorem durationem metalla molliora, maxime plumbum & æs. Plumbũ nim. propter mollitiem & quod in papyri tenuitatem fere extendi poſſit, aptiſſimum judicabatur, eaque antiquiſſima ſcribendi ratio. Scribebant enim in plumbeis tabulis ſtilo ferreo. De quo præclarus locus Jobi cap. xix. 23, 24. *Quis det ut ſermones mei ſcribantur in libro ſtilo ferreo aut plumbi lamina.*

Et ita antiquiſſima volumina etiam Moſis ſcripta fuiſſe perhibentur. Reperta inde fuit papyrus tenuiſſimis philyris ex Ægyptia arbore detractis, circa Alex. M. tempora ut Plinius vult & paulo poſt ſub Eumene Rege membrana quæ & charta ex linteis, pergamena dicta; atque tum demum ſcriptura cœpit per calamos & atramentum. Primi enim calami ſcriptorii ex arundine conficiebantur, de quibus Martialis:

*Dat chartis calamos habiles Memphitica tellus.*

Et hoc ſcribendi per arundines genere

re etiamnum utuntur Orientales, Græci, Turcæ, Arabes, Perſæ, Indi.

At Occidentales, incertum quo tempore quoniam carebant ejuſmodi arundinum copia, majores avium pennas in ſcribendi uſum accommodarunt maxime vero anſerum quod hi reliquis omnibus aptiores eſſent. Ita hodie omnia pennis quaſi obediunt. His immortalia monumenta conſcribuntur & æternitati conſignantur.

Sed præter hunc plumarum pennarumque ex avibus uſum, alius adhuc occurrit haudquaquam prætereundus. Reperit enim non modo cultior antiquitas verum ipſa quoque Americana Barbaries elegantiſſimæ quoddam picturæ plumatilis genus. Verſicolores nim. avicularum plumulæ eo artificio contexebantur ut quamlibet rem longe artificioſius quam pictores penicillis exprimerent. Sed omnem antiquitatem ſuperarunt hoc in artificio Barbari Americani, maxime Mexicani. Quorum non tantum corporis ornatus omnis ex pluma contextus; verum imprimis artificioſiſſimas picturas inde conficiebant ſubtilitate ſtupenda. Ita quidem ut Philippus II. R. Hiſp. ejuſmodi plumatili pictura ex Indiis allata

ta aſſeveraverit: *nihil ſe unquam artificioſius aut elegantius, conſpexiſſe.*

Ac denique aucupium inter præcipua delectamenta vitæ ponitur cui etiam ſummi Principes impenſe indulſerunt. Maxime aucupio delectabatur Henricus Saxoniæ Dux, cui quod in aucupio verſanti per Conradi Salici mortem imperium offerretur, Aucupis impoſterum nomen obtinuit.

Dominium quod homini à Deo in bruta datum tribus potiſſimum modis poſt lapſum exercetur, piſcatura, aucupio & venatione. De duobus prioribus, quantas in Rep. utilitates præbeant, jam diximus. Reſtat tertium, nim. Venatio ferarum.

Quod originem *venationis* ſpectat, inſtituta ea fuit ad domandam ferarum rebellionem. Nam cum ante lapſum omnia animantia hominis obſequio ſponte ſubjecta & obedientia fuerunt; poſt lapſum excuſſa illa reverentia, ipſi rebellare & variis modis nocere cœperunt, præſertim feroces illæ & prævalidæ beſtiæ leones, urſi, tigres, lupi. Quare homines neceſſitate coacti bellum quaſi intulerunt belluis eaſque venari & quibus poſſent modis, domare cœperunt.

Quod etiam inſtitutum plane neceſſ.

Reip.

Reip. fuit. Quippe tanta multitudine ſuccreverant illæ feræ ut nullam niſi excisæ homini habitandi occaſionem cum ſecuritate reliquerint.

Quare cum primum homines veniſſent in loca ſola & deſerta, excisis ſylvis feras nocentiores exſtirparunt ut tuto habitare poſſent. Videmus enim quanta in vaſtiſſimis Lituaniæ, Perſiæ, Norwagiæ, Ruſſiæ, Lyviæque, ferarum copia & multitudo ſit, regionibus.

Primus Nimrod venator fuiſſe & quidem præpotens, commemoratur, à quo totum illud inſtitutum profluxit & propagatum fuit. Poſtea integræ nationes ex venatione vixerunt. Inde ſibi ex pellibus veſtimenta, ex carnibus cibum petentes, quales imprimis Scytharum nationes fuerunt. Ita enim natura paſſim hominibus proſpexit ut ubi minimum frumenti ibi plurimum ferarum proveniret, Quare Boreales regiones ferarum quaſi patria eſt. Ibi ingens urſorum imprimis ac luporum copia, tum aliorum animantium quorum pretioſiſſimæ ſunt pelles. Tanta enim frigoris vehementia in illis regionibus eſt ut niſi membra denſiſſimis pellibus involvantur, id haudquaquam arcere poſſint. Hinc pellita Scytharum & Sarmatarum agmina.

Ut

Ut vero quædam ferarum genera quæ magnum Reip. uſum præbent, recenſeamus, Lapponia, Suecia, Norwegia & Ruſſia producunt animal quoddam cervi magnitudine quod Rangifer vocatur. Eo in profectionibus ſuis illæ nationes utuntur: eſt enim curſus celerrimi tum laborum & inediæ patientiſſimum. Ita brevi tempore in trahis ſuis magna ſpatia boreales conficiunt.

Siberia Ruſſiæ profert muſtelarum genus quod præſtantiſſ. pelles dat; quæ Siberinæ ſive Zibellinæ vocantur, Regum ornamentum.

Eſt & alce animal in ſeptentrione frequens, cujus non tantum pellis præſtans corium exhibet ad militaria ſaga, verum etiam remedium contra Epilepſiam. Eſt enim alce ſubjectum Epilepſiæ animal, quem inſultum curat admota capiti ungula ſiniſtra poſtica quæ ſingulari virtute contra id malum pollet.

In univerſum a. homines antiquiſſimi, nondum reperto lanæ & lini uſu, ferarum exuviis pro veſtitu utebantur. Imprimis antiqui Germani de quibus Tacitus: *Gerunt ferarum pelles*. Sic Apollonii Scholiaſtes: συγγενὲς τοῖς ἥρωσι τὸ δέρμα τοφορεῖν. Solenne Heroibus pelles geſtare. Sed notandum pilos Germanicarum pelli-

licearum antiquitus non introrſum, ut nobis, ſed extrorſum fuiſſe converſos ad majorem elegantiam ac contra imbres.

Cum igitur exuviis animalium tegerentur hinc nomina quoque fluxerunt. Hinc Wolf, Beer, Leo, Aper Germanorum nomina.

Neque veſtitum modo præbebant pelles verum etiam lectum. Pellibus incubuit ſtratis ſomnoſque petivit. Hinc quoque tentoria confecta, unde *ſub pellibus* miles habitus.

Omnium maxime Reip. damnoſum animal Lupus eſt voraciſſimus & ovium peſtis, tanta voracitate ut terram etiam comedat quam tamen & ſuo potenti calore digerat. Igitur ubi magna luporum abundantia ibi tota paſtoritia corruit & deſtruitur. Quare in pleriſque Rebuſp. pretium & pærmium conſtitutũ eſt illi qui lupum interfecerunt. Antiqui Anglorum Reges tributi loco Wallis ſive Cambris certum luporum numerum quotannis imperarunt unde totum luporum genus in ea inſula exſtirpatum eſt, quanquam alii exiſtiment lupis illum aërem eſſe adverſum ut Angliæ Cœlum perferre nequeant ſed intereant, de quo nunc dicendi locus non eſt.

Sed exiſtimarim in Anglia lupos fuiſſe cicu-

cicuratos : ingentes enim Anglorum moloſſi, quid aliud quam Lupi Cicures ſunt? Lupus enim Canis Sylveſtris & feri ſpecies eſt unde facile cum Canibus coit.

At Africa & India leones ac elefantas producunt, quæ animalia viro quidem robuſtiſſimo & vaſtiſſimo conferuntur.

Quippe Libyæ ſolitudines tanta leonum copia abundant, ut Africam inhabitabilem redderent niſi quotannis velut cum exercitu Numidæ in venationem proficiſcerentur & numerum ferarum imminuerent.

Elephanti vero bellicoſum animal & quod non modo ad bellum verum etiam ad ingentia onera geſtanda adhibetur ab Indis & Afris.

Eſt animal omnium prudentiſſimum & quod ferè ad humanum prudentiam accedit. Suppeditat etiam ebur quod ex dentibus elephantum depromitur.

## *De Apiaria.*

Omiſimus rem humano generi utiliſſimam, apum culturam. Apes igitur mel & ceram effingunt ex rore cœleſti quem ſummo mane ortu auroræ è cœlo cadentem ſuper foliis arborum ac flo-

rum, ore & pedibus quos duros & ſcabroſos habent colligunt idque in tuguriola ſua & cellulas ſtipant.

Cum igitur hoc animalculum homini utiliſſimum ſit, natura eo producendo non una ratione contenta fuit. Primo enim enaſcuntur apes ex ſeipſo ut *Phœnix* & formica, ſibi tumulum & ſepulturas ipſimet conficiunt, dum ad ſenectutē vergant. Nam ex humiditate viſcoſa aëris ſibi glomerant neſcio quid ceræ ſimile in quo includuntur eôque ſepeliuntur; juvenes vero illud ora in cellulas & Tuguriola ſua deponunt ibiq; calore & fotu ſolis exurgunt novæ apes &recentes,Virgilius aſſerit apes enaſci ex tauro necato. Varro. Ex bubulo corpore putrefacto. Nota eſt fabula de Ariſtæo.

Admirabilis vero eſt Reſp. apum Nam primo Regem ſibi creant forma pulcherrimum. Hic vel non habet aculeum vel eo non ferit. In medio alvearis eſt regium palatium, à quo circum circa deſtribuuntur vicatim domus,denique tanta apibus ſagacitas adſcribitur ut iis divinæ particulam auræ Virgilius adſcribat.

Cum vero propter ſolius mellis & ceræ copiam apes Reip. inſerviant de illis nunc agendum.Mel igitur ex cœleſti rore effectum ab apibus miram quandam dul-

dulcedinem, pinguem & oleoſam complectitur, ejus raræ in Medicina & Oeconomia commoditates. Unde copia mellis inter argumenta Florentis Reip. Quemadmodũ terra Iſraël, *lacte & melle fluens.* Et de J. C. *Butyrum* & *Mel.* comedet. De Jonathano:

Apum autem duplex genus: ferum & cicurum. Ferę apes in vaſtiſſimis Sylvis ſtabulantur & excavata arbore mel ſtipant. Tales imprimis in Ruſſia & Polonia. Narrat P. Jovius lepidam Hiſtoriam de quodam Ruſſo qui mel ex ejuſmodi arbore exemturus illapſus eſt & ab urſo extractus.

Maximas igitur commoditates percipiunt Ruſſi ex melle. Nam cum natura nullum ibi vinum produxerit, defectum compenſavit copioſo mellis proventu quo mulſum conficiunt quod nobilitate nihil cedit generoſiſſimis vinis.

De modo propagandi apes abſque deſtructione. Reperitur ne mel etiam abſque apibus? Plinius l. 21. c. 14. meminit *ejuſdam monrini creta, cavinæ* nomine ubi nullę apes & maxima hic mellis copia. Sic in Media, Thracia, Hyrcania. *quod ac pluga quæ fortunata deeſſe* arbores ex quibus mel defluit. Celſ. l. 23. c. 24. L. Ant. Ita Galenus teſtatur ſe viN 2 diſſe

diſſe mel profectum in quibuſdam arboribus & plantis. Ejus loco ſaccarum adhibetur, Plinius.

Saccarum Arabia producit ſed laudabilius India. Galeni ævo vix cognitum fuit. Poſtea invaluit maxime ex quo Fortunatæ & Indiæ repertæ ac Braſilia.

Reſtant Bombyces à quibus ſericum: Sericum olim ex India & Serica allatum ubi bombyces in vaſtiſſimis Sylvis tenuiſſimam illam lanuginẽ conficiebant. Sydonius: *Aſſyrius* gemmas ſer vellera, *Thura Sabæus*.

Quando ſub Juſtiniano Imperatore ſerici conficiendi notitia Conſtantinop. delata, Monachi duo ex India attulerunt bombyces, monſtrataqne vermium generatione Rom. Sericum conficere docuerunt. Hactenus enim ſericũ à Perſicis mercatoribus coëmebatur ignorantibus Romanis vermium telam eſſe *qua adeò hæc mortalitas in ſoleſcit*. Occaſionẽ præbuit David ſeu Adad, Axumitarum Indorum Rex, qui cum viciſſet. Homeritas, ex voto Chriſtianiſmum ſuſcepit, cum quo hi Monachi in Indiam profecti.

Maximæ Perſarum & Chinenſium opes ex ſerico.

Ante 400. annos venerunt in Italiam & Sici-

Siciliam, unde Sericum Florentinum. Ex Italia venerunt in Franciam, ubi ita increverunt, ut teſtentur Franci plus inde commodi, quam ex frumento & vino ampliſſimæ regionis provenire.

Sic Jacobus Brit. Rex A. 1609. publico diplomate bombycum culturam ſuis imperavit.

Ad eos copioſe alendos imprimis requiritur copia mororum: ejus enim arboris foliis aluntur.

# HISTORIÆ CIVILIS,

## LIBER QUINTUS.

Hiſtoria eſt rerum ante nos geſtarum narratio, eſtque vel ante Diluviana, vel poſt diluviana. Poſt Diluviana complectitur quatuor Monarchias, ſive ſumma imperia, Babylonicum, Perſicum, Græcum, & Romanum. Supputatio annorum ab orbe condito ad noſtra tempora hæc eſt, A. M. 1656. factum eſt diluvium, A. M. 3000. dedicatum fuit templum Salomonis, A. Mundi 4000. natus eſt Chriſtus à nativitate, Chriſti ad præſentem hunc annum effluxerunt anni 1670. Ergò à condito mundo ad hæc noſtra tempora ſunt anni 5670.

Prima Monarchia vocatur Babylonica ſive Aſſyriaca, quam condidit *Nimrod*, qui alio nomine vocatur Belus & ſtruxit turrim Babylonicam.

An-

Antiquiſſimi Aſſyriorum Reges fuerunt *Ninus* & *Semiramis*, de quibus legi poteſt Juſtinus lib. 1. ſed multa quoque de illis traduntur fabuloſa præſertim de Semiramide, quæ fuit fæmina animoſa & bellicoſa.

Ejus Filius Zameis, alio nomine *Ninias*, primus apud Aſſyrios otio ac voluptatibus totum ſe mancipavit, dicebat enim *ſtultum eſſe in tanta vitæ humanæ brevitate tantis laboribus ſe macerare, & periculis objicere: quin potius fruendum eſſe bonis, quæ majores acquiſiviſſent, ac genio indulgendum, cætera ſuſque deque habenda.*

Ultimus Rex Aſſyriorum fuit *Sardanapalus*, omnium hominum effeminatiſſimus adeo mulieroſus ut colum & lanam tractaret, quapropter contra eum conſpiravit *Arbaces* præfectus Medorum à quo victus & in urbe *Ninive* obſeſſus ſe cum omnibus ſuis opibus in conſtructa pyra combuſſit.

Poſt mortem Sardanapali imperium Aſſyriacum diviſum fuit in regna *Babylonis* & *Medorum*. Inter Aſſyrios Reges præcipui ſunt *Phul*, *Tiglat*, *Pilcher*, *Salmanaſſer*, *Senachiribet*, *Nebucadneſar*, quæ bella geſſerint contra Judæos & Ægyptios de illis S. Scriptura prolixe tractat.

Primus Monarcha in S. Scripturis vocatur *Nebucadneſar* quippe qui omnium latiſſime regnavit & imperium per Aſiam atque Africam longè latèque propagavit.

Ultimus Babyloniorum Rex fuit *Balthaſar* ſub quo *Cyrus* Rex Perſarum urbem Babylonem noctu per cuniculos expugnavit, ac Balthaſarem in convivio fuſtibus necavit: ita igitur deſiit prima Monarchia Babyloniorum, eique ſucceſſit ſecunda, Perſica Monarchia.

Secundam Monarchiam quæ vocatur *Perſica*, condidit *Cyrus* Rex Perſarum & duravit uſque ad tempora Alexandri Magni. De Cyro multa præclara commemorantur, quomodo in juventute inter paſtores educatus etiam in illa ætate præclara documenta regii animi ediderit. Nam quemadmodum Hercules etiam adhuc in cunis *vagiens* tamen ſerpentes ſtrangulavit, & futuræ ſuæ magnitudini præluſit: ita etiam Cyrus in prima infantia qualis quantuſque futurus eſſet oſtendit. Sed ſicut nihil eſt ab omni parte beatum, ita Cyrus quoque infelix ultimo bello fuit, quod contra Scythas geſſit, quippe interfectus cum toto exercitu à Regina *Tomyri*, caput ipſi præciſum, & in utrem humano ſanguine ple-

plenum conjectum, cum hac exprobatione, *Satia te ſanguine cujus inſatiabilis ſemper fuiſti.*

In Cambyſe exemplum habemus degeneris filii: quippe Cambyſes monſtrum fuit ex omnibus vitiis conflatum. Ebriòſus, crudelis, inceſtuoſus, fratricida, denique nullum flagitium dari poteſt, quod ille non perpetraverit, ſolo bello egregius, Ægyptiorum ſuperbiam ac ſuperſtitionem ſæviſſimè caſtigavit. Tandem ſe ipſum interfecit non quidem data opera ſed fortuito caſu, cum enim equum inſiliret Acinaces ejus vagina elapſus crus vulneravit, ex quo vulnere letalem morbum contraxit.

Tertius Rex Perſarum fuit *Darius* filius Hyſtaſpis de quo duo imprimis memorabilia referuntur, expugnatio Babylonis, & bellum contra Athenienſes. Babylonem expugnavit proditione *Zopyri*, qui ſibi ipſi nares & aures amputaverat, atque ita ad obſeſſos Babylonios confugit eoſque paulo poſt Dario prodidit. Quapropter Zopyrus eſt exemplum fidelis amici.

Atticum bellum memorabile prælio ad Marathonem fuit. Marathon erat oppidum Atticæ in cujus patentibus campis famoſum hoc Prælium accidit. Per-

ſarum erant 600000 millia, Athenienſium 110000. & tamen à tam parva manu ingentes illæ copiæ fuerunt profligatæ. Hinc patet victoriam non dependere à multitudine copiarum, ſed à bonâ cauſâ & fortitudine militum ac prudentia Ducum.

Quartus Perſarum Rex fuit *Xerxes*, cujus tota hiſtoria conſiſtit in bello quod contra Græcos geſſit, quo nullum unquam fuit majus, ſive reſpicias copias ſive atrocitatem præliorum ſive brevitatem temporis, quo fuit perfectum. Totum hoc bellum dividitur in quatuor prælia quibus ſuperatus à Græcis fuit Xerxes Primum prælium ad *Thermopylas* terreſtre fuit: ſecundum ad *Salaminam* inſulam: tertium ad *Artemiſium* promentorium Euboeæ, utrumque maritimum ſive navale: quartum & ultimum terreſtre ad Plateas urbem Beötiæ. His quatuor præliis innumerabilis ille Xerxis exercitus omnino deletus fuit.

Pauſanias miſerabile exemplum ambitionis & inconſtantiæ rerum humanarum præbet, qui cum Dux totius Græciæ in bello contra Perſas fuiſſet, & propter tot victorias magnam gloriam acquiſiviſſet, paulo poſt deprehenſus in proditione patriæ fame necatus fuit. Themi-

miſtocles qui & ipſe ſuſpectus erat proditionis, fuga ſibi conſuluit & ad Perſas profugit.

Tota Hiſtoria, Græca continetur *quatuor* magnis bellis partim externis partim civilibus. *Externa* fuerunt duo: primum *Athenienſium*, contra *Darium* in campo Marathonio, ſecundum totius *Græciæ* contra *Xerxen* quatuor prælііs finitum. Sequitur nunc *tertium* bellum idque *Civile* quod inter ipſos Græcos geſtum eſt *Peloponōnſiacum*. Hoc bellum duravit per viginti octo annos. Duæ erant factiones ſive capita partium *Athenienſes* ab una, *Spartani* ab altera parte. Pugnabant pro primatu vel principatu Græciæ, & controverſia erat utra civitas *Athenæ* an *Sparta* principatum Græciæ deberet obtinere? Bellum hoc prolixiſſimè deſcribitur à Thucydide, qui ipſe interfuit: nos pauca tantum ſed præcipua annotabimus. Anno 2. hujus belli Athenis atrociſſima fuit peſtilentia, in qua hoc fuit ſingulare, quod qui convaleſcebant, omnium rerum præteritarum penitus amitterent memoriam, ita quidem ut ne proprii quidem nominis amplius recordarentur. Hanc peſtem Hippocrates princeps medicorum, qui tunc vivebat luculentis tota urbe excita-

tis ignibus extinxit. Anno 15. hujus belli Athenienſes totam ſuam claſſem cum triginta millibus militum in Sicilia amiſere. Et tandem anno 28. fatalis illa accidit clades ad Ægos Potamos, ubi totam claſſem atque exercitum ſine ullo prælio turpi negligentia amiſere. Ita *Lyſander* dux Spartanorum Athenas obſedit & ex illo loco, qui dicebatur *Academia* oppugnavit. Athenienſes rebus omnibus deſperatis deditionem fecere his tribus conditionibus; *ut mœnia urbis & portus diruerentur 2. ut omnes quas haberent naves traderent. 3. ut triginta rectores à Spartanis intra urbem acciperent.*

*Artaxerxes longimanus* dictus fuit propter duas rationes, quia brachium ſiniſtrum longius habuit dextro. 2. Quia manum dextram longiorem habuit ſiniſtra.

*Artaxerxes* II. dictus fuit *Mnemon* propter excellentem memoriam omnium, quę ſemel audiverat. Inter hunc Artaxerxen Mnemonem & fratrem ejus *Cyrum* Minorem, bellum exortum fuit, in quo Cyrus ſua temeritate cum jam victor eſſet fuit interfectus.

Nullum truculentiorem regem Perſæ habuerunt quam *Ochum*, qui horribiliter ſæviit in ſuos ſubditos, ideoque tandem

dem veneno fuit ſublatus, cadaver illius felibus dilaniandum objectum, & ex oſſibus illius Perſæ manubria gladiorum & cultrorum fecerunt, ut etiam poſt mortem ſanguine ſatiarentur.

Ultimus Perſarum Rex fuit *Darius Codomannus*, cui bellum intulit *Alexander* Rex Macedonum & tribus præliis ipſum ſuperavit, ad *Granicum* Fluvium in Phrygia: ad oppidum *Iſſum* in Cilicia ad *Arbelam* in Aſſyria. Darius in fuga fuit trucidatus abeſſo præfecto Bactrianorum. Ita deſiit ſecunda monarchia Perſica & ſucceſſit tertia monarchia *Macedonica* vel *Græca*.

## Tertia Monarchia.

*Tertiam Monarchiam* condidit *Alexander Magnus* Rex Macedonum victo & debellato Dario Rege Perſarum tribus præliis ſicut dictum. Bello igitur invictus fuit Alexander, ſed haud quaquam vitia domare potuit: debellavit enim eum ſuperbia, ebrietas & iracundia. Superbia ejus tanta fuit, ut non contentus humanis & regiis honoribus pro Deo coli & adorari voluerit & refragrantes graviſſimis ſuppliciis affecerit. Interfecit in convivio ebrius & iracundus fideliſſimum amicum *Clytum*, cujus mater ſuo

lacte

lacte Alexandrum nutriverat, deinde inſortiſſimos ſuor duces ſęviit, ac propterea omnibus ſe exoſum ınviſumque reddidit.

Igitur cum poſt tantas victorias Babylonem reverſus fuiſſet, ibique legatos omnium gentium audiviſſet, dies noctesque conviviis & compotationibus ındulſit, atque intra paucos dies extinctus fuit ſive quod ex vino, præſertim calidiſſima regione, ardentem febrim contraxerit, ſive quod ei venenum propinatum fuerit quod valde probabile videtur. Venenum illud *Ariſtoteles* quondam præceptor ejus ſuppeditaſſe dicitur, cujus tanta erat acrimonia, ut omnia metalla corroderet, neque ullo vaſe, niſi ungula aſini contineri poſſet. Tale venenum potui illius à pincerna fuit permixtum, & exhauſto Scypho ſtatim veluti telo transfixus ſemianimis ex convivio fuit elatus, & paulo poſt obiit.

Tempore Alexandri Magni duo præſtantiſſimi artifices floruerunt *Apelles* in pictura, *Lyſippus* in ſtatuaria. Alexander igitur publico edicto prohibuit ne ab alio quam ab Apelle pingeretur, neque ab alio quam à Lyſippo effingeretur.

Reges Perſarum quanquam luxurioſiſſi-

ſiſſimi, tamen lege prohibebantur bibere vinum, ſemel tantum in anno ipſis permiſſum fuit ſe vino inebriare, toto reliquo tempore nihil niſi aquam bibebant, & quidem ex fluvio qui vocabatur *Choaſpes*, non enim aliam aquam quam ex illo fluvio ipſis bibere erat licitum, niſi extrema urgente neceſſitate ſicuti accidit Dario in fuga.

Nullum tanti imperii hæredem vel ſucceſſorem reliquit Alexander, quanquam enim haberet liberos & fratrem, tamen illi propter ætatem minorennem, hic propter defectum ingenii non erant idonei tanto imperio gubernando. Ergo proceres ſive duces imperium inter ſe diviſerunt, ac mox diſcordes mutuo ſe trucidarunt, & omnem Alexandri poſteritatem interfecerunt. Tandem tria regna ex hac Macedonica Monarchia fuerunt nata, *Macedoniæ*, *Syriæ*, *&* *Ægypti*. Reges Syriæ vocabantur *Seleucidæ*, à Seleuco: Ægypti *Ptolemæi* à Ptolemæo primis Regibus.

## *Quarta Monarchia.*

Quarta Monarchia vocatur *Romana* à Romanis qui eam condiderunt. Hæc eſt ultima Monarchiarum, quæ perdurat adhæc noſtra uſque tempora, & cujus

pars

pars haud exigua ſumus, nam quam late ſe extendit lingua latina tam late monarchia Romana patet. Urbs igitur Roma condita fuit à *Romulo* & *Remo* fratribus incertum quo patre natis. Spurios fuiſſe & latrones ſatis conſtat: quapropter Romani, ut hanc ignominiam delerent, Marte genitos finxerunt.

C. Tacitus 1. Annalium compendio & paucis lineis tradit hiſtoriam Romanam, dum inquit: *urbem Romam à principio Reges habuere.* Reges ſeptem fuerunt *Romulus*, N. *Pompilius*, T. *Hoſtilius*, A. *Marcius*, L. *Tarquinius* Priſcus, S. *Tullius*, L. *Tarquinius* Superbus.

Cum T. Superbus Senatum Rom. penitus opprimeret ac abſolutam Monarchiam vellet introducere, patricii ſive optimates ſeſe oppoſuerunt, nacti favorabilem occaſionem quod Sextus Superbi filius per vim ſtupraſſet honeſtam matronam *Lucretiam.* Quapropter T. *Superbo regnum abrogarunt*, ac Juramento promiſerunt Romani nunquam ſe paſſuros ullum Regem Romæ regnare, quod Juramentum obſervarunt uſque ad tempora J. Cæſaris.

Familia Fabiorum tam fuit numeroſa, ut ſola bellum ſuſceperit contra *Hetruſcos*: trecenti Fabiorum erant & omnes una

una die fuerunt interfecti ad Fluvium *Cremeram*, unicus tantum puer adhuc in cunis vagiens evaſit, & poſtea familiam Fabiorum inſtauravit, Quapropter proverbio dicitur: *Non omnes Fabios abſtulit una dies.*

Romani legatos miſerunt Athenas qui inde adferrent leges Solonis: illis allatis creaverunt *Decemviros* cum abſoluta poteſtate leges Romanas reipublicæ utiles conſcribendi. Hi confecerunt decem tabulas legum, quibus paulo poſt addiderunt adhuc duas, ita ut in univerſum leges Romanæ in *duodecim tabulis* continerentur, Inter illos decemviros erat etiam A. *Claudius*, qui cum Virginiam filiam civis ad libidinem abriperet, pater filiam ſuam in publico foro interfecit, & Pop. Romanum ad ſeditionem commovit, quapropter decemviratus fuit abrogatus, & iterum conſules creati ſunt.

Turbulenta admodum his temporibus fuit Reſp. Romana, neque reperire potuit ſtabile aliquod regimen. Ergo tandem creaverunt *Dictatores*, cum abſoluta poteſtate. Quippe Dictator erat omnibus ſolutus legibus & poterat in quoſcunque magiſtratus animadvertere: erat Dominus vitæ & necis neque ab illo dabatur appellatio. Hanc infinitam dictatorum poten-

potentiam Romani duobus cancellis incluſerunt primum tempore, dictatura enim non durabat niſi ſemeſtri ſpatio, ſecundo, dictatori non licebat conſcendere equum ſed cogebatur incedere pedes, itaque qui omnia poterat reliqua, tamen in his erat circumſcriptus legibus.

*M. Furius Camillus*, ab ingrata patria in exilium fuit pulſus, ſed poſtea cum urbem Romam obſidione Gallorum liberaſſet honorificè fuit reſtitutus.

Acris & diuturna fuit contentio inter patricios & plebem pro conſulatu: quippe patricii plebem à conſulatu volebant excludere, ſed plebs per ſeditionem patribus extorſit unum conſulatum.

Nunquam Romani turpiorem cladem acceperunt quam à *Samnitibus* ad Furcas *Caudinas* totus enim exercitus Romanus coactus fuit nudo corpore per humile jugum tranſire.

Inter omnes antiquos tyrannos maximè celebres fuerunt duo *Dionyſii* pater & filius Siciliæ tyranni. *Dionyſius* minor tandem in exilium pulſus, in extrema paupertate & contemptu Corinthi conſenuit pueros docens Alphabetum, & muſicam, cujus tamen erat rudiſſimus, quapropter proverbio dicitur *Dionyſius Corinthi* quo ſignificatur nullam tyranni-

nidem adeo eſſe fundatam, quæ non poſſet deſtrui & everti.

Bellum Pyrrhi contra Romanos admodum celebrè eſt in hiſtoria, quippe Romani tunc oſtenderunt ſe etiam in maximis cladibus animum tamen retinere invictum & interritum, quapropter Pyrrhus neque precibus neque donis pacem à Romanis impetrare potuit, ſed coactus fuit tota Italia excedere.

Poſtquam Romani debellaverant totam Italiam, arma ſua converterunt contra *Carthaginienſes*; qui tunc temporis obtinebant imperium maris, & rempublicam terra marique longè potentiſſimam habebant. Romani contra illos pro Sicilia bellum geſſerunt, neque ante deſtiterunt quam Carthaginienſes imperio maris & poſſeſſione Inſularum exiiſſent: fuerunt autem tria bella Punica, ſive contra Carthaginienſes à Romanis geſta.

Exemplum ſingularis conſtantiæ ac fidei etiam hoſti ſervandæ eſt M. *Attilius* Regulus, qui graviſſimo ſupplicio mori potius voluit, quam fidem hoſti datum fallere, ideoque ſua ſponte in carcerem rediit, & horribili morte à Carthaginienſibus fuit affectus.

Victi tandem à Romanis prælio navali Carthaginienſes pacem his conditionibus

bus impetrarunt, ut à *Sardinia* & *Sicilia* abſtinerent, ac Romanis annuum tributum perſolverent.

Secundum bellum *Punicum* concitavit *Annibal* Dux Carthaginienſum, qui quatuor ingentibus Præliis Romanos profligavit, ad *Ticinum*, ad *Trebiam*, ad *Traſymenum*, & denique ad *Cannas* obſcurum Apuliæ vicum. Hoc ultimo prælio Romani penitus fuerunt confracti, ita ut fortiſſimi quique de repub. deſperarent ac fugam molirentur: ſed reſtitit P. Corn. *Scipio* juvenis viginti quatuor annorum, qui ſtricto gladio mortem comminatus fuit illis, qui ex urbe Roma aufugerent. Ita Romani animum receperunt, ac quidquid reſtabat virium, vel opum id contraxerunt, experturi ultimum fortunæ Caſum, & favit Deus illorum audaciæ, quia nolebat Romam deſtrui, ſed caput orbis terrarum facere decreverat.

Princeps omnium qui unquam fuerunt Mathematicorum fuit *Archimedes* ſed qui infeliciter in expugnatione Syracuſarum periit: quippe tanto ardore & attentione figuras quaſdam mathematicas depingebat in pulvere, ut non ſenſerit urbem ab hoſtibus eſſe captam: præceperat *Marcellus* militibus ſuis, ne læderen-

rent Archimedem: miles ſtricto gladio ad Archimedem veniens cum nomen ejus exquireret, & Archimedes reſponderet *miles ne perturba lineas meas*, per ignorantiam eum occidit: quapropter proverbio dicitur, *Syracuſæ capiuntur & tu in pulvere pingis.*

Quod Romanis fuerunt *Cannæ*, id Hannibali *Capua*, quippe in loco illo amœniſſimo exercitum ſuum luxuria adeo fregit & enervavit, ut in poſterum nihil magni amplius peregerit.

*Aſdrubal* fuit frater Hannibalis, cumque Romani caput ejus in caſtra Annibalis projeciſſent, ingemiſcens Hannibal dixit, *video fatum Carthaginis.*

Cum Romani neque defenſivo, neque offenſivo bello Annibalem poſſent ex Italia pellere, ſuaſu tandem *Scipionis* bello eum diverſivo aggreſſi ſunt & bellum in Africam tranſtulerunt, ſtatim enim Carthaginienſes domum ex Italia revocarunt Annibalem, ubi à Scipione ingenti prælio ſuperatus fuit: hunc exitum habuit ſecundum bellum Punicum.

Poſtquam Romani debellaverant Carthaginienſes, Reges *Macedoniæ*, *Syriæ* & *Ægyptii* potentiam illorum indies creſcentem ſuſpectare ceperunt, metuentes ne Romani quartam Monarchiam conſti-

ſtituerent. Quapropter ſeſe illis oppoſuit *Philippus* Rex Macedoniæ, ſed mox oppreſſus fuit à T. Q. Flaminio.

Nec felicior contra Romanos fuit *Antiochus* Rex Syriæ, qui ſuaſu Annibalis bellum movit, ſed majori cum magnificentia quam prudentia, ita & ille facilè à Romanis fuit profligatus.

Romani Antiocho omnes illas provincias ademerunt, quas citra Taurum montem obtinebat.

P. Scipio Africanus ſummam ingratitudinem Romanorum expertus fuit, accuſaverunt illum peculatus, id eſt, quod publicam pecuniam in privatos uſus convertiſſet hanc criminationem tam iniquo animo tulit, ut relicta Roma in ſpontaneum quaſi exilium profectus fuerit ac dixerit: *ingrata patria ne oſſa quidem mea habebis*, fuit autem noctu in villa ſua Linterni, incertum à quo ſtrangulatus.

Annibal cum toto orbe hoſtem Romanos quæreret, neque eorum manus duitius effugere poſſet, hauſto veneno ſibi vitam abrupit.

Romanorum legatus P. *Lænas* Antiochum Regem Syriæ baculo circumſcripſit, ſilens, *ex hoc circulo non egredies*

*an-*

*antequam dixeris*, veliſne *amicus* Romanorum an *hoſtis* eſſe.

Duos habebat *Philippus* Macedonum Rex filios *Demetrium*, & *Perſeum*.

Demetrius juſſu patris fuit calumniis Perſei circumventus paulo ante mortem ſuam ſtrangulatus, ſucceſſore relicto Perſeo, quo victo & capto Romani Macedoniam in provinciæ formam redegere atque ita initium fecerunt diſtructionis tertiæ monarchiæ, jam enim duo tantum reſtabant regna Syriæ & Ægypti.

Sequitur nunc tertium & ultimum bellum Punicum, in quo Carthago funditus fuit everſa atqne deleta vehementer dubitabant Romani *an tanta & tam magnifica urbs eſſet delenda*, duæ erant in ſenatu contrariæ ſententiæ, una Scipionis *Naſicæ* qui cenſebat *Carthaginem non eſſe delendam:* ratio ejus hæc erat, *ne deleta Carthagine Romani internis diſſidiis inter ſe conflictarentur.* Altera ſententia erat M. *Catonis* qui cenſebat *funditus eſſe delendam* demonſtrato periculo quod Romanis à vicinia tantæ urbis immineret, ac propterea maturas ſecum in ſenatum attulit uvas, cumque patres earum pulchritudinem admirarentur, atqui inquiebat *Cato*, *triduum eſt ex quo Carthagine ſunt allatæ*, hinc Romani intel-

tellexerunt quam propinqua eſſet Italiæ Carthago & quam periculoſum eſſet tam propinquam habere præpotentem urbem, decreverunt ergo delendam eſſe Carthaginem. Carthaginienſes, cum viderent nullas æquas conditiones à Romanis impetrari poſſe, ſtatuerunt ad extremum uſque ſe defendere, & in ruinis patriæ ſepeliri, quod etiam factum eſt. Carthago à Romanis incenſa quindecim continuis diebus arſit antequam tota Conflagraret.

*Phalaris* Tyrannus Siciliæ homines non ſimpliciter interficiebat, ſed novis excogitatis tormentis excruciabat. Venit ad illum quidam artifex nomine *Perillus* qui Taurum æreum confecerat, in quem conjecti ac ſubjectis ignibus toſti mugitum inſtar bovis ederent: placuit Phalaridi inventum, ſed loco mercedis ipſum artificem Perillum primum in hunc taurum conjecit, ut ſuo exemplo probaret quod promiſiſſet.

Deleta Carthagine reſtabat *Corinthus*, quam & ipſi Romani cenſebant eſſe delendam, propterea quod commodiſſimo eſſet ſitu ad bellum Italiæ inferendum. Igitur hæc quoque urbs incenſa ac ſolo æquata fuit.

Viriatus ex latrone factus eſt dux præſtan-

ſtantiſſimus qui Romanis maximas intulit clades, neque aperto Marte, ſed dolo fuit interfectus.

Poſtquam Romani debellaverant Carthaginem, Reges Macedoniæ, & Syriæ & Corinthum deleviſſent, Hiſpaniam quoque ſibi ſubjeciſſent, potentia illorum ad ſummum faſtigium pervenit, neque quiſquam illis reſiſtere poterat. Auſi tamen fuerunt nonnulli eorum potentiam laceſſere, quemadmodum interdum videmus canes allatrare equos & elephantes, qui mox tamen temeritatis ſuæ pœnas dederunt. Primi fuerunt *Numantini* Hiſpaniæ, quorum non plures erant quam decem millia & tamen Romanos pudendis cladibus affecerunt, ſed tandem extrema deſperatione interfectis prius uxoribus ac liberis, ſe cum tota urbe combuſſerunt. Ita Romani deletis omnibus hoſtibus ad *Civilia* bella & *ſeditiones* domeſticas ſeſe converterunt. Duo fratres *Gracchi* populum contra patricios concitarunt legibus Agrariis; ſed uterque mox oppreſſus & interfectus fuit, inter hos motus *Jugurtha* Rex Numidiæ ipſe auſus fuit Romanam autoritatem contemnere, ac ſuis fraudibus multum ſane negotii ipſis exhibuit, donec tandem à C. *Mario* confuſe debellaretur.

Vix confecto hoc bello *Cimbri* & *Teutones*, id eſt Saxones & Germani hodie Dani, cum innumerabili multitudine Italiam penetrarunt, ſed & illos C. *Marius* internecione delevit. Poſt tantas victorias Romani jam aperto Marte inter ſe certare cæperunt, nam omnes Italiæ populi conjurarunt contra Romanos & nolebant pati ut civitas Romana primatum ſive imperium in reliquam Italiam affectaret, ſed omnes volebant eſſe æquali loco ac Jure, Bellum hoc vocatur *Marcicum*, & quamquam Itali Romanos atrociſſimè impugnarent, tamen victi & denuo ſubjugati fuerunt. Durante hoc bello civili *Mithridates* Rex Ponti omnium ſui temporis bellicoſiſſimus & potentiſſimus, ſtatuerat Romanos ſubito opprimere. Itaque atroci edicto una die 80000. Romanorum in Aſia trucidari juſſit, quapropter Romani bellum contra illum decreverunt, ſed inter ſe diſcordes alii C. *Marium* ex plebe, alii L. *Syllam* ex nobilitate Imperatorem hujus belli deſignare: hinc atrociſſimum inter ipſos bellum civile, ducibus C. *Mario* & L. *Sylla*. Incredibile dictu quantis in ſe mutuo ſævierint cladibus, ita quidem ut in ipſa urbe Roma Theatrum omnis inhumanitatis exhiberetur. Modo

enim

enim prævalebat C. *Marius* modo L. *Sylla*, neque alter alteri ullam gratiam præſtabat, præſertim vero C. *Marius* qui jam ſeptimùm Romæ fuerat Conſul, & ad ſeptuageſimum ætatis annum pervenerat, non poterat ſatiari cæde & ſanguine ſuorum hoſtium. Tandem L. *Sylla* confecto bello Mithridatico Romam reverſus, crudeliſſimam vindictam contra hoſtes ſuos exercuit, ac omnes quorum potiri poterat interfecit, profugos aut deliteſcentes proſcripſit, omnia illorum bona inter ſuos diſtribuit, denique ſe *perpetuum Dictatorem* creavit, C. *Marium* ſuum hoſtem ex ſepulchro erui ac cineres ejus diſpergi juſſit. Ex hoc bello civili inter C. *Marium* ac L. *Syllam* natum fuit bellum *Sertorianum* in Hiſpania, quo confecto Romani ſe converterunt contra Mithridatem Regem Ponti qui tandem à Cn. *Pompejo* ad mortem adactus fuit. Aſſueverat Mithridates à juventute veneno. Inde *Antidotus* contra venenum vocatur *Mithridatium*: quapropter Mithridates obſeſſus à Pompejo volebat ſe necare veneno, ſed non poterat propter naturæ ſuæ aſſuetudinem, ergo à famulo ſuo fuit confoſſus. Interea Romæ C. *Catilina* contra remp. conjuraverat, quem M. T. *Cicero* tunc tempo-

ris conſul oppreſſit, quo facto C. J. *Cæſar* miſſus cum exercitu fuit in Galliam, Germaniam & Britanniam, Galliam totam debellavit, Germaniam & Britanniam tantum vidit & ingreſſus fuit. Tres tunc temporis erant apud Romanos potentiſſimi in Republica Cn. *Pompejus*, M. *Craſſus* & C. J. *Cæſar*, hi totam remp. pro arbitrio regebant, & reliquum ſenatum pro lubitu opprimebant. Cum igitur M. *Craſſus* in bello Parthico fuiſſet interfectus, J. *Cæſar*, & Cn. *Pompejus* ad arma civilia proruperunt. Controverſia erat de *Monarchia*: uter illorum deberet eſſe princeps Romanorum. J. *Cæſar* fulminis inſtar Italiam invaſit &Cn. *Pompejum* cum ſenatu expulit, eumque in Theſſalia apud oppidum Pharſalum ingenti prælio ſuperavit. Cn. *Pompejus* fugit in Ægyptum, ſed ibi juſſu Regis Ptolemæi Dionyſii capite fuit truncatus. J. Cæſar deinde per Ægyptum, Aſiam, Africam & Hiſpaniam reliquias factionis Pompejanæ delevit, ac quicunque clementiam ejus amplecti volebant in gratiam recepit, in primis Ciceronem: deinde omnibus confectis bellis, *Dictator* perpetuus id eſt Monarcha Romanorum fuit creatus, ſed vix per ſex menſes hac gloria frui potuit: quippe in ipſa curia
Pom-

Pompeji à ſenatoribus viginti tribus vulneribus nefariè fuit interfectus, & ſuo ſanguine quartam Monarchiam quæ vocatur *Romana* inauguravit.

# HISTORIÆ CIVILIS

## *LIBER SEXTUS.*

SExtus complectitur res à J. *Cæſare* uſque ad tempora & imperium *Caroli* Magni, id eſt ſpatium ferè octingentorum annorum. Igitur cum interfectus fuiſſet J. Cæſar duæ factiones emerſerunt, quarum una volebat ulciſci mortem Julii *Cæſaris*, & interfectores ejus ad ſupplicium poſcebat, cujus capita erant Oct. *Auguſtus*, & M. *Antonius*: altera volebat ſancire *Amneſtiam* id eſt oblivionem omnium injuriarum, & autoritatem ſenatus ſive Reipublicæ reſtituere. Hujus caput erat M. T. *Cicero*. Prior factio prævaluit ac omnes J. Cæſaris interfectores iterum merito ſupplicio affecti fuerunt. Quippe *Auguſtus*, *Antonius* & *Lepidus* hactenus inter ſe ho-

ſtes, conjunctis tandem animis armiſque *triumviratum* inſtituerunt, & omnes ſuos hoſtes proſcripſerunt, inter quos etiam relatus M. *Cicero* crudeliter trucidatus juſſu Antonii. Sed neque diuturna inter triumviros concordia fuit, quippe *Auguſtus* primo oppreſſit Collegam ſuum Lepidum, mox ipſum Antonium aggreſſus apud Actium Epiri Promontorium navali prælio eum ſuperavit, & in Ægyptum fugientem perſecutus, ibidem cum uxore *Cleopatra* mori coëgit ac Ægyptum Romanam provinciam fecit. Ita Auguſtus factus fuit primus Monarcha Romanorum à quo perpetua ſerie ad noſtra uſque tempora Romani Imperatores deſcendunt. Sub hoc Auguſto natus fuit Jeſus *Chriſtus* Anno Mundi 4000.

Quod igitur ſpectat Hiſtoriam Imperatorum ſive Cæſarum, eam ſummatim & compendio nunc exponemus. Plerique omnes Cæſares flagitioſiſſimi fuerunt Tyranni, ex quorum hiſtoria nihil aliud diſcere poſſis quam exempla crudelitatis, intemperantiæ, laſciviæ, ac abominabilium facinorum. Quippe ſi excipias Auguſtum, Flavium & Titum *Veſpaſianum*, Nervam, Trajanum & præterea paucos aliquot, cæteri non niſi mon-

monſtra fuerunt in perniciem & dedecus orbis Romani imperantis. Sed in Auguſto virtutes fuerunt egregiæ paucis quibuſdam maculis vitiorum aſperſæ, ſub eo lingua Latina & magna ingenia quam excelſiſſimè floruerunt, unde Sæculum Auguſti pro elegantiſſimo habetur. Semel tantum inſignem cladem in Germania ab *Arminio* duce Cheruſcorum accepit amiſſis tribus legionibus. Imperium præſertim urbem Romam ad ſummum magnificentiæ faſtigium evexit, ac gloriabatur ſe *Romam* accepiſſe *lateritiam* & relinquere *marmoream*.

Auguſto ſucceſſit *Tiberius* ſummus ſimulandi ac diſſimulandi artifex, ſed artium Politicarum callentiſſimus, cujus exemplum hodieque omnes illi imitantur, qui tyrannidem exercere volunt. Sub eo præcipue floruit *Sejanus* ſpeculum aulicæ potentiæ, quem Tiberius ad ſummum potentiæ faſtigium evexit, mox unico quaſi momento ad imam miſeriam præcipitavit, ac trucidari cum liberis juſſit. Extrema Tiberii quæ *Capreis* tranſegit, adeo ſunt fœda & turpia ut animus honeſtus à memoria illa non abhorreat: tandem Tiberius quandoquidem turpis ejus anima corpore egredi nolebat, pulvinari fuit ſuffocatus.

Tertius Romanorum Imperator fuit C. Cæſar *Caligula*, quo nullum unquam monſtrum inter homines magis abominandum vixit, & qui ſi potuiſſet, totum genus humanum extinxiſſet. Apud Tiberium adhuc aliquis erat pudor & occultatio flagitiorum: Caligula autem nihil tam regium arbitrabatur, quam in publico abominanda quæque perpetrare. Ergo tertio imperii anno à prætorianis militibus fuit interfectus. Hic eſt ille Caligula qui equum ſuum Conſulem Romanum creavit.

Imperator *Claudius* homo fuit ſtupidus & ſegnis, ſic tamen ut nulla magna flagitia perpetraret; regebatur à ſuis famulis & uxoribus, inter quas fuit *Meſſalina* impudiciſſima fœmina quam occidi propterea juſſit.

Ultimus ex familia Auguſti imperator fuit *Nero* Claudius, primo *quinquennio* optimus princeps, unde proverbio dicitur *quinquennium Neronis*, altero autem quinquennio Caligulam flagitiis, ſi non ſuperavit, ſaltem æquavit. Supremum omnium ejus ſcelerum fuit quod *Senecam* præceptorem & matrem ſuam *Agrippinam* interfecit, cujus interfectæ uterum inſpexit, ut locum videret in quo tale monſtrum conceptum fuiſſet.

Ergo

Ergo tandem à ſenatu Romano fuit proſcriptus & ad infamem mortem damnatus, quam ut evitaret ſe ipſum jugulavit. Poſt mortem Neronis confuſa fuit & lamentabilis imperii facies, quippe exercitus alii Imperatorem creaverant *Ottonem*, alii *Galbam*, alii *Vitellium*, alii denique Fl. *Veſpaſianum*, Vitellius ſuperavit Ottonem, Vitellium Fl. Veſpaſianus: inter hæc certamina urbs Roma cruentum belli civilis theatrum fuit. Tandem *Veſpaſianus* imperium ſua præſentia recreavit, ac ſatis laudabiliter adminiſtravit, niſi quod avaritiæ nimis indulſit. Eo imperante *Hieroſolyma* funditus fuit deleta à T. *Veſpaſiano* filio, qui patri in imperio ſucceſſit idque per biennium tenuit tanta cum laude, ut *amor* & *deliciæ* generis humani appellaretur. Huic ſucceſſit *Domitianus* frater Caligulæ & Neronis ſimilium, cujus naturam crudelem præclarè depingit Tacitus in vita Julii Agricolæ.

Sequuntur nunc Imperatores qui à Trajano ad Conſtantinum magnum imperarunt, & *Trajanus* quidem inter optimos Romanorum Principes recenſetur, quemadmodum ex Panegyrico Plinii patet. Unde hodieque inter fauſtas principum acclamationes dicitur, Sis Fe-

LICIOR AUGUSTO, MELIOR TRAIANO. Ei ſucceſſit *Hadrianus* qui Judæos rebellantes quam graviſſimè afflixit falſo illorum Meſſia occiſo, & imperium Romanum nudo capite obivit. Poſt hunc regnavit *Antoninus* Pius optimus quoque & humaniſſimus princeps qui ſucceſſorem habuit *Antoninum* cognomine Philoſophum, qui & ipſe optimis imperatoribus accenſetur, ac Marcomanos Germaniæ populum profligavit, ſed filium reliquit omnium flagitioſiſſimum, *Commodum*, qui Caligulam & Neronem repræſentavit, ac nullum genus flagitii prætermiſit. Poſt quem Imperator factus eſt Septimius *Severus* re & nomine talis qui Britanniam muro per tranſverſam inſulam ducto contra Scotos & Pictos communivit ac Eboraci mortuus eſt. Hujus filius & ſucceſſor fuit *Caracalla* & ipſe peſſimus, qui fratrem *Getam* in ſinu matris interfecit, ac Papinianum Juriſconſultum quod eam cædem defendere nollet trucidari juſſit. Huic ſimillimus fuit *Heliogabalus*, de quo nihil niſi tetrum & abominabile dici poteſt. Hunc excepit *Alexander* Severus, vir bonus & ſtrenuus miles, qui quendam impoſtorem nomine *Turinum* fumo necari juſſit, dicens, *fumo pereat, qui fumum vendi-*

*didit*. Poſt hunc regnavit *Maximinus* fortiſſimus quidem miles & Germaniæ longè lateque vaſtator, ſed ſimul crudelis Tyrannus, quapropter ſenatus Romanus eum hoſtem judicavit, electis *Gordiano*, *Pupieno* & *Balbino* Imperatoribus. Maximinus in tentorio ſuo à militibus fuit interfectus, unà cum filio ſuo adoleſcente omnium pulcherrimo. His ſucceſſit *Gordianus* junior, qui in Oriente contra Perſas res proſperè geſſit, ſed à militibus interfectus, ſucceſſorem habuit *Philippum* Arabem, qui & ipſe paulò poſt interfectus fuit. Nam tunc temporis Imperatores Romani à militibus creabantur, & facilè iterum ab illis deſtituebantur, ac interficiebantur. Secutus fuit Imperator *Decius* quem Scythæ in prælio interfecerunt. Nam circa hæc tempora Barbaræ Nationes undique imperium Romanum invadebant, neque deſtiterunt antequàm omnia in Occidente quæ Romanis ſubjecta erant deſtruxiſſent. Inde imperium pervenit ad *Valerianum* quem Sapores Rex Perſarum in prælio cepit & tam contumelioſè tractavit, ut quotieſcunque equum conſcenderet Valeriani tergum tanquam ſcabellum pedibus premeret, ac tandem miſero ſeni pellem vivo detraheret. Eſt

igitur Valerianus exemplum inconſtantis fortunæ, qui ab Imperatorio faſtigio ad extremam miſeriam fuit detruſus. Filius & ſucceſſor Valeriani fuit *Gallienus* omnium mortalium ſocordiſſimus, & Reip. negligentiſſimus, qui ſuſque deque habebat defectionem provinciarum & irruptionem Barbarorum, unde ſub illo *triginta Tyranni* qui ſe Imperatores Romanos dicebant, emerſerunt. Deinde imperavit *Aurelianus* qui collapſum ſub Gallieno imperium maſcule recuperavit, Tyrannos oppreſſit, Barbaros profligavit, ac inprimis *Zenobiam* bellicoſiſſimam Reginam orientis in triumpho Romæ duxit: ſed tantus princeps cum jam ipſis Perſis bellum comminaretur, in itinere à ſuis familiaribus fuit interfectus. Huic ſucceſſit *Tacitus* qui nihil memorabile geſſit, niſi quod Hiſtoriam Cornelii Taciti in multa exemplaria tranſſcribi & in omnibus bibliothecis collocari juſſit, itaque quod hodiè præſtantiſſimo illo autore fruimur, beneficium hujus Imperatoris C. Taciti eſt. Succeſſorem habuit *Probum* ſub quo prima fit mentio *Francorum*, qui poſtea Galliam occuparunt, ac ibi regnum Francorum, hodie florentiſſimum condiderunt. Sed etiam Imperator Probus poſt-

quam

quam pacem imperio reſtituiſſet, à militibus fuit interfectus. Creato in ejus locum Imperatore *Caro*, qui fulmine percuſſus interiit, relicto peſſimo filio *Carino* poſt quem imperium ſuſcepit *Diocletianus* qui collegas ſibi aſcivit *Maximianum*, & *Conſtantinum* Chlorum, hic Diocletianus cum collegis ſuis imperium contra Barbaros defendit, ac amiſſas in Oriente provincias pleraſque recepit, ſed novo prorſus exemplo ſe ſponte imperio abdicavit, ac hortuli cultura contentus, conſenuit. Erant tunc miſera & confuſa tempora tyrannidem exercentibus Galerio & Maxentio. Quapropter Romani *Conſtantinum* qui poſtea *Magnus* cognominatus fuit ad imperium ab his tyrannis liberandum evocarunt, qui Maxentium & Licinium prælio ſuperavit, & imperium non tantum ab oppreſſione Tyrannorum, verum etiam Eccleſiam Chriſtianam à perſecutionibus gentilium liberavit: Quippe à temporibus Apoſtolorum, *decem* horrendæ perſecutiones Chriſtianorum à Romanis Imperatoribus fuerant exercitæ. Prima à *Nerone*, 2. à *Domitiano*, 3. à *Trajano*, 4. à Sept. *Severo*, 5. à *Maximino*, 6. à *Decio*, 7. à *Valeriano*, 8. ab *Aureliano*, 9. à *Diocletiano*, & 10. & ultima à

*Maxi-*

*Maximiano.* Primus itaque Chriſtianus Imperator fuit *Conſtantinus* Magnus, qui templa gentilium ac Idola deſtruxit, Sacerdotes eorum & cultores ex urbibus in pagos expulit, unde *Ethnici* dicti fuerunt & Pagani; Chriſtianam vero Religionem liberè in imperio exerceri juſſit. Præcipuum operum Conſtantini Magni fuit quod celebrarit Synodum *Nicenam* in qua condemnata fuit hæreſis Arrii qui *Chriſtum* negabat eſſe *verum Deum.* Hic Conſtantinus ſedem Imperii Romani relicta Roma tranſtulit Byzantium, quæ urbs ab ipſo dicta fuit Conſtantinopolis.

Poſt obitum Conſtantini Magni Imperium Romanum in Occidente magis magiſque ad interitum declinare cœpit, donec tandem penitus deficeret in ultimo Imperatore *Auguſtulo.* Cauſa tantæ ruinæ fuit duplex: prima *diviſio* imperii in Occidentale & Orientale & diſcordia Imperatorum inter ſe, altera fuit *irruptio* Barbararum Nationum quæ imperium occidentis in multas partes dilacerarunt, ac nova paſſim regna conſtituerunt. Ac primo quidem quod ſpectat diviſionem imperii & diſcordiam Imperatorum, Conſtantinus Magnus tres reliquerat filios, qui Imperium in totidem partes diviſerunt, ſed mox inter ſe facti

diſcor-

diſcordes duo ex illis *Conſtans* & Conſtantinus perierunt: tertius ſuperſtes *Conſtantius* Tyrannum *Magnentium* ad mortem compulit, *Gallum* Patruelem ſuum interfecit, *Iulianum* Galliæ & Germaniæ præfecit, eumque quanquam invitus ſucceſſorem conſtituit. Ita Imperator factus eſt *Iulianus* cognomine *Apoſtata*, eo quod à fide Chriſtiana ad Gentiles defeciſſet, ac religionem Chriſtianam funditus extirpare conaretur. Sed mox divina ultio ipſum in bello Perſico deprehendit, quippe lethali vulnere, incertum cujus manu, & ut opinio Chriſtianorum ferebat, ab angelo percuſſus, profluentem ſanguinem manu exceptum per aërem ſparſit, cum hac blaſphema voce, *Viciſti Galilææ*, ita enim Chriſtum per contemptum appellabat. Ejus ſucceſſor fuit *Iovianus*, ſed & ille intra annum periit in cubiculo quodam recenti calce tincto, vapor enim calcis recentis & carbonum eam habet vim, ut præcordia præſtringat atque exanimet. Secuti in imperio *Valentianus* & *Valens* duo fratres, quorum ille Occidentem hic Orientem gubernabat: ſed *Valens* ſuperatus à Gothis cum in tugurium quoddam fugiſſet ibidem à perſequentibus, immiſſo igne combuſtus fuit. Valentiano

no ſucceſſit *Gratianus* qui à Tyranno quodam Maximo fuit interfectus, ſucceſſore relicto filio *Valentiano* Secundo, ſed & hic paulo poſt noctu ſtrangulatus fuit. Ita Imperium Orientis & Occidentis pervenit ad *Theodoſium*, qui Tyrannos delevit, imperium fortiter ac laudabiliter gubernavit, ac diviſit inter duos filios Honorium & Arcadium, quorum ille Occidentis hic Orientis Imperium obtinebat. Atque his imperantibus Gothi imperium Occidentis capta Roma deſtruxerunt. Rex Gothorum erat *Alaricus* qui Romam expugnavit anno Chriſti 412. 12. Aprilis atque ab hoc tempore Roma totiuſque Occidens præda Barbarorum fuit. Honorio in Occidente ſucceſſit *Valentinianus* Tertius, Arcadio in Oriente *Theodoſius* ſecundus, huic *Martianus*. Valentiniano autem Tertio ſucceſſerunt adhuc aliqui in Occidente, ſed qui præter nomen inane Imperatoris nullam amplius potentiam obtinuerunt. Ultimus autem Imperatorum Romanorum fuit in Occidente quidam *Romulus* Momyllus *Auguſtulus* in quo duo fatalia nomina ruinam Imperii præſagientia concurrebant. Sicut enim Romulus primus fuit Romanorum Rex, & Auguſtus primus Imperator: ita ſub hoc Romulo Au-

Auguſtulo Roma cum imperio periit. His igitur ultimis Imperatoribus inane nomen exercentibus Barbari totum Occidentem occuparunt, ac primo quidem *Weſt-Gothi* inHiſpania,*Wandali* in Africa, *Saxones* in Britannia, *Franci* in Gallia, *Hunni* in Pannonia & Germania,nova regna condiderunt. Maxime formidabilis fuit potentia Hunnorum. Horum Rex erat *Attila*, qui cum innumerabili exercitu per Germaniam in Galliam irrupit, ſed ibi ingenti prælio in Campis Catalaunicis ab Aëtio Valentiniani tertii legato fuit victus. *Attila* poſt tantam cladem plenus furoris in Italiam veluti tempeſtas quædam irrumpit omnia longè lateque vaſtat, diripit, incendit, jamque ipſam Romam funditus delere ſtatuerat, cum precibus Leonis Epiſcopi Romani victus, relicta Italia in Pannoniam rediit, ibique paulo poſt cum nuptias celebraret noctu in lecto à fœmina cultro fuit confoſſus. Hæc vaſtitas Italiæ dum eam pervagatur *Attila* originem præbuit florentiſſimæ urbi Venetiarum, quippe fugientes furorem Attilæ in Inſulas & æſtuaria tumuloſque maris Adriatici ſe contulerunt, ibique locorum ingenio tuti exſtruxere caſas & progreſſu temporis condidere urbem, ac in

Rem-

Rempub. coaluere, quæ hodie ex potentiſſimis terrarum orbis cenſetur. Debet ergo tanta urbs felicem ſuam originem huic Attilæ, qui niſi Italiam tam immaniter vaſtaſſet, Venetiæ conditæ non fuiſſent. Sequuntur nunc illa tempora quibus nova regna & imperia quæ hodieque florent per orbem terrarum condita ſunt. Nam quemadmodum corruptio unius eſt generatio alterius in Phyſicis ſic in Politica deſtructo uno imperio neceſſario nova debent exoriri regna & dominationes. Ergo ex ruinis Imperii Romani hæc nova regna originem ſumpſerunt. Primum regnum fuit *Italiæ* quod condidit *Odoacer* natione Herulus, ſed hunc mox evertit & occidit *Theodoricus* Rex Oſtro-Gothorum, qui regnum Gothorum & Italiæ condidit, heros plane magnanimus, ac exemplar omnium virtutum regiarum, niſi quod Arianiſmo fuit infectus. Regnum Gothorum in Italia deſtruxit Imperator *Iuſtinianus* Primus per duces ſuos *Beliſarium* & *Narſetem*. Secundum regnum fuit *Anglo-Saxonum* in Britannia conditum à duobus fratribus *Engiſto* & *Horſo*, qui Saxones in Britanniam traduxerunt, & ibi ſeptem regna condiderunt, quæ vocantur Anglo-Saxonum. Hic Engiſtus dicitur condidiſſe

didiſſe Burgum Leydenſem, ſecundum illos verſus, *Putatur Engiſtus Britanno orbe redux poſuiſſe victor.* Hæc ſeptem regna Anno Chriſti 800. coaluerunt in unam Monarchiam, quæ hodie vocatur Anglia. *Tertium* regnum fuit *Francorum* conditum Anno Chriſti 420. à Faramundo poſt quem regnavit *Meroveus*, qui occupavit magnam Galliæ partem, eamque Franciam appellavit. Ab hoc Meroveo prima familia Regum Franciæ *Merovinga* dicitur. Sciendum enim eſt tres Regum Franciæ familias ad noſtra uſque tempora regnaſſe. Prima eſt *Merovingorum* cujus ultimus Rex fuit *Childericus* Ignavus quem *Pipinus* Dux Brabantiæ in monaſterium detruſit, & ſe Regem Franciæ fecit; cujus filius fuit *Carolus* Magnus, qui condidit ſecundam familiam Regum Franciæ quæ vocatur *Carolingorum.* Hæc familia defecit cum Carolo Simplice, quem regno ſpoliavit *Hugo* Capetus, qui condidit tertiam familiam Regum Franciæ, quæ vocatur *Capetingorum* & hodieque regnat, hujus familiæ Capetingæ duæ fuerunt ſtirpes *Valeſia* quæ exſtincta eſt Anno 1589. in Henrico Tertio, & *Bourbonia* quam condidit *Henricus* Quartus, cujus nepos Ludovicus decimus quartus hodieque in

Gal-

Gallia regnat. *Quartum* regnum ſive potius imperium fuit Saracenorum Arabum fundatum Anno Chriſti 621. à Mahomete qui ſe Prophetam finxit ac non modo novum Imperium, verum etiam novam religionem condidit. Atque hoc imperium Saracenicum omnium quæ unquam ab orbe condito fuerunt latiſſimè extenditur, ab extremis Indiæ finibus uſque ad terminos Hiſpaniæ. Quippe Saraceni totam Hiſpaniam & magnam Galliæ partem expugnarunt. Horum Saracenorum potentia poſtea tranſlata fuit ad *Turcas*, *Perſas* & *Tartaros*, nam apud hos populos hodie imperium Mahometicum ſuam ſedem habet. *Quintum* regnum fuit *Hungarorum*, quod condiderunt Hungari populus Scythicus circa annum Chriſti 900. quod regnum hodieque militaris quidam campus Chriſtianorum & Turcarum eſt, & unicum obſtaculum quo minus Turcæ in Germaniam penetrent. Amiſſa enim Hungaria, Turcis tota Germania uſque ad Mare Balticum expoſita foret. *Sextum* regnum fuit *Longobardicum* quod in Italia Longobardi condiderunt: ultimus Rex Longobardorum fuit *Deſiderius*, quem ſuperavit Carolus Magnus, atque ita finem impoſuit Regno Longobardico.

co. Hæc præcipua fuerunt regna quæ ex Romani Imperii ruinis originem ſumpſerunt. præter hæc regna ſuperfuit in Oriente imperium *Conſtantinopolitanum* in quo præcipue excelluerunt hi Imperatores. Primo quidem *Juſtinianus*, qui vel propterea æternam ſui memoriam reliquit, quod infinita legum Romanarum volumina per *Tribonianum* in unum corpus redegit, Secundo *Juſtinus* qui & ipſe res magnas per Italiam geſſit. Tertio *Mauritius* quem Phocas cum conjuge & liberis capite truncari juſſit, ſed ipſe quoque Phocas ab Heraclio Imperatore manibus pedibuſque truncatus, & in ardentem caminum conjectus fuit. Sub hoc Heraclio *Mahomed* Saracenorum Imperium condere cœpit, atque ab eo tempore perpetua bella contra Saracenos Imperatores Conſtantinopolitani geſſerunt, donec tandem Turcæ in locum Saracenorum ſucceſſerunt, & capta Conſtantinopoli Anno 1453. finem impoſuerunt huic Imperio Orientis.

# HISTORIÆ CIVILIS

## LIBER SEPTIMUS.

HActenus antiquam & intermortuam Hiſtoriam tractavimus: ſequitur nunc recentior & hodierna quæ neceſſarium & præſentem uſum habet in vita Politica. Antiqua ſcire eruditionis eſt; præſentia utilitatis & neceſſitatis. Quatuor igitur antiquæ illæ Monarchiæ Babylonica ſcilicet Perſica, Macedonica & Romana non habent majorem uſum in vita humana, quam rudera & ruinæ priſcorum ædificiorum, quorum quidem conſpectus delectat, ſed habitatio eſt incommoda. Jam ad Carolum Magnum accedimus, id eſt præciſe ad annum à Nato Chriſto 800. Diximus ſupra Carolum Magnum condidiſſe ſecundam familiam Regum Franciæ quæ vocatur *Carolinga*. Is Carolus re & nomine fuit Magnus, debellavit enim Germaniam, præſertim *Saxones*, quod nullus unquam Romanorum Imperatorum facere potuerat. Tribus & triginta annis bellum illud Saxonicum duravit, cum

præ-

præferoces illi Saxones qui hodie Weſtphali vocantur, nollent ſuſcipere religionem Chriſtianam, donec tandem repetitis à Carolo Magno cladibus contuſi jugum Chriſti, & Imperium ſubirent. Ultimus Rex Saxonum fuit *Witekindus*, qui fide Chriſtiana ſuſcepta creatus fuit *Dux* Saxoniæ, cujus poſteritas hodieque longè lateque per Germaniam dominatur, & ipſi Reges Franciæ hodierni ab illo Witekindo originem trahunt: Quippe Hugo Capetus conditor tertiæ familiæ Regum Franciæ à Saxonibus originem traxit.

Inde *Carolus* Magnus ſeſe convertit contra *Bavaros* eorumque Regem ultimum *Taſsilonem* in Monaſterium detruſit, ac deinde contra *Longobardos* in Italiam profectus ultimum illorum Regem Deſiderium etiam in Monaſterium conjecit, atque ita cum ſolus Carolus eſſet Rex Galliæ, Germaniæ & Italiæ eaque regna ſuis armis acquiſiviſſet, dignus viſus fuit qui *Imperator* crearetur, nam inde uſque à temporibus Aguſtuli per 400, annos nullus fuerat in occidente Imperator: ergo ipſo anno Chriſti 800. in feſto nativitatis Chriſti *Carolus* fuit Romæ proclamatus Imperator, cum hac voce Populi Romani & Germanorum: *Carolo*

*Au-*

Auguſto à *Deo Coronato Vita, ſalus & Victoria.* Ita Imperium occidentis fuit inſtauratum, & ad noſtra uſque tempora perpetua ſerie continuatum, quanquam jam multum imminuta potentia avulſis Gallia & Italia. Sola Germania hodie tuetur nomen & dignitatem Imperatoriam, ipſa quidem ſatis per ſe valida & nunc concors. Carolus Magnus ſedem ſuam Imperatoriam habuit *Neomagi* in Gelria, mortuus autem eſt *Aquis Grani.* Anno 814. Sed poſteritas Caroli Magni inter ſe diſcors omnem illam potentiam ſua ſponte confregit, ita quidem ut in uno prælio inter tres filios Caroli Magni centum millia ex nobilitate Franciæ perierint: quapropter Germani pertæſi illorum diſſidiorum, ſtatuerunt imperium ad ſe & ad ſuam gentem transferre, excluſis penitus Carolingis, idque factum Anno Chriſti 911. Quantus contemptus fuerit Caroli Magni familiæ vel hinc patet. Carolus *Craſſus* primus poſt Carolum Magnum obtinebat totam Galliam, Germaniam, & Italiam, & tamen Imperio fuit ſpoliatus conſenſu procerum, ita quidem ut per triduum etiam cibo deſtitueretur, & fame ipſi fuiſſet pereundum, niſi Epiſcopus Moguntinus ex culina ſua ipſi aliquid alimenti ſuppeditaſſet; quapro-

propter ea Germani in poſterũ noluerunt habere Imperatorem niſi Germanum, Eaque lex ad noſtra uſque tempora ſanctiſſimè obſervatur. Primus itaque Imperator fuit *Conradus* Dux Franconiæ, electus anno Chriſti 911. is defunctus, ſucceſſorem conſtituit *Henricum* ducem Saxoniæ, qui vulgo vocatur *Auceps*, atque hic Henricus Auceps Hungaros Germaniam atrociſſimè vaſtantes fortiſſimè repulit, & primus in Germania oppida, arces & urbes condidit: hactenus enim Germani habitabant per agros & campos diſperſi, ſine munitionibus aut urbibus. Cum vero Hungari frequentes facerent invaſiones, & populum inermem occiderent, vel abducerent, *Henricus* Auceps decimum quemque ſelegit, & in loca munita migrare juſſit, tractare arma, exercere opificia vel mercaturam, reliqui novem colebant agros, & ingruente bello ſe recipiebant in oppida vel arces munitas. Atque ita hodiernus Germaniæ ſtatus ab Henrico Aucupe fuit fundatus.

Poſt obitum Henrici Aucupis tres ordine *Othones* duces Saxoniæ Imperium Romanum obtinnerunt, primus dictus fuit *Otho* Magnus propterea quod poſt Carolum Magnum omnium ſplendidiſſi-

mè & potentiſſimè regnaverit, ac Italiam & Romam ſibi ſubjecerit. Hic Otho Magnus condidit urbem *Magdeburgum*, ibique ſepultus Anno Chriſti 974. Ejus ſucceſſor fuit *Otho* Secundus cognomine *Sanguinarius*, & *pallida mors Saracenorum* propterea quod contra Saracenos qui tunc magnam Italiæ partem obtinebant graviſſima bella geſſit. Huic ſucceſſit filius *Otho* Tertius, dictus *mirabilia Mundi* propterea quod in juventute maximarum rerum ſpem & exſpectationem præbuerit. Hic *Otho* Tertius dicitur inſtituiſſe ſeptem *Electores* penes quos eſſet jus creandi Cæſaris idque factum fuiſſe tradunt circa Annum 1000. quanquam de Origine Electorum certi nihil conſtet, hæc tamen eſt communis ac vulgaris opinio, in qua plerique acquieſcunt. Othoni Tertio ſucceſſit *Henricus* Secundus Dux Bavariæ, qui cognominatus fuit *Sanctus*, propter multa beneficia in Eccleſiaſticos collata, dictus etiam fuit *Claudus* propterea quod inceſſu claudicaret. Poſt hunc regnavit *Conradus* Secundus cognomine *Salicus* Dux Franconiæ quæ Regio priſcis temporibus *Salica* dicebatur, hic mortuus fuit Ultrajecti, & ſucceſſorem habuit *Henricum* Tertium cognomine Nigrum, qui

contra

contra Theodoricum Comitem Hollandiæ maximum bellum geſſit, inſtigatus ab Epiſcopo Ultrajectino. Itaque Anno Chriſti 1047. Henricus Tertius cum Exercitu in Hollandiam irrupit ac *Rhenoburgum* & *Vlardingam* quæ tum munitiſſima in his locis erant oppida occupavit. Nondum enim illo tempore *Leyda* & aliæ urbes Hollandiæ emerſerant, præter *Dordrechtum*, ſed *Rhenoburgum* erat, quod hodie eſt Leyda.

Henrici Tertii filius fuit *Henricus* Quartus omnium Cæſarum & fortiſſimus & infeliciſſimus qui J. Cæſarem multitudine victoriarum vel æquavit, vel ſuperavit. Duæ infelicitatis illius fuerunt cauſæ, prima quod admodum adoleſcentulus factus fuit Imperator, puer nimirum decem annorum & à Matre & tutoribus negligenter educatus, unde à juventute in magna vitia prolapſus, tota vita quæ longæva fuit illos errores corrigere non potuit. Coloniâ trans Rhenum vehendus in ſcapha, ſeipſum in Rhenum præcipitavit, ac niſi *Egbertus* Marchio Miſniæ capillis arreptum ex profluente traxiſſet, in ipſa pueritia ſuffocatus periiſſet. Totam Rempublicam adminiſtrabat fœmina mater illius, & prout Fœminarum Imperium viris ge-

neroſis moleſtum eſt, ita Principes Germaniæ illum ex ſinu matris abſtractum Archiepiſcopo Premenſi *Adelberto* commiſerunt, qui bona Imperii ſibi ſuiſque amicis diſtribuit. Poſtquam pervenerat *Henricus* Quartus ad annum ætatis vigeſimum ſecundum in omnia vitia præceps ſcortari, adulteria committere, ſubditos ſuos inſtar mancipiorum habere, regia facinora putabat, ſed præcipuè irritavit gentem Saxonum omnium in tota Germania bellicoſiſſimam, & pervicaſiſſimam, quos impoſitis caſtellis frænare cogitabat, ſed illi antiquæ memores libertatis, inito fœdere arma ſumpſerunt, mori potius certi quam tales injurias perferre. Ad res horum temporum intelligendum, ſciendum Germaniam circa annum Chriſti 1000. diviſam fuiſſe in *quatuor* magnas nationes, Francones, Saxones, Bavaros & Suevos. Francones, Suevi & Bavari componebant Germaniam ſuperiorem, & vocabantur Germanicè *Overlanders*, Saxones autem vocabantur *Niderlanders* ſive Germania inferior; jam inter has quatuor nationes erat perpetua æmulatio. Quando Imperator creabatur ex natione Franconica tunc ſtatim ſe opponebant Saxones, Saxonibus Bavari, Bavaris Suevi. Jam vero Hen-

Henricus Quartus erat ex domo Bavarica, ergo tota Saxonia contra illum conjuravit, quæ indignè ferebat imperium transferri ex Germania inferiore in Superiorem. Quis omnia prælia & bella enarrare poſſit? Papa Romanus cui nihil poterat accidere gratius, quam diſcordare Germanos, hanc occaſionem ambabus ulnis amplexus, Saxones rebelles in clientelam ſuccepit, promiſitque illis cœlum & terram, contra vero Henrici factionem ad Tartara detruſit. Papa Romanus tunc temporis vocabatur *Hildebrandus* ſive *Gregorius* Septimus, qui primus auſus fuit Imperatores excommunicare ac ſubditos à juramento fidelitatis abſolvere. Henricus Quartus quamquam toties campo victor tamen in Italiam profectus fuit, ac ſe totum Papæ ſubjecit; miſerabile dictu quam contumelioſe habitus fuerit.

Primo coactus Cæſar Henricus Quartus media & acerrima hyeme, per nivoſas & invias Italiæ Alpes, nudis pedibur proficiſci, viliſſimo indutus habitu, comitatus uxore & filiolo. Secundo cum perveniſſet ad arcem Canuſinam (in qua Papa Gregorius Septimus commorabatur) per totum triduum nudis pedibus & capite à manè ad veſperam ſine cibo &

 potu,

potu, coactus fuit ſubſiſtere, ac lamentabili voce ac geſtu miſericordiam implorare. Papa interea de ſublimi feneſtra deſpectabat, ac tantam abjectionem Romani Imperatoris irridebat. Quarta demum die Henricus ad Papam admiſſus, & ſpoliatus omni Imperio, ad privatam conditionem redactus eſt. Poſtquam Henricus Quartus tantum flagitium commiſerat ac ſe & imperium Papæ ſubjecerat, tota Italia & Germania infremuit, rem proclamans indignam. Henricus Quartus cum videret aliam ſalutis ſuæ non dari rationem denuo à turpibus cum Papa pactis reſiliens arma arripuit, ſed omnia erant fruſtra, itaque tandem principes Germaniæ illum tanquam imperio indignum abdicarunt; quod factum fuit Moguntiæ. Indutus omnibus ornamentis imperialibus accuſatus fuit in conventu procerum malè adminiſtrati imperii: corona & reliquæ veſtes Imperatoriæ ipſi per vim detractæ ac filio ejus impio Henrico Quinto traditæ. Henricus Quartus nudus & omnibus ſpoliatus profugit Leodium jamque iterum parabat arma tantam vindicaturus injuriam, cum mors illum rebus humanis exemit, ſed longo tempore jacuit inſepultus, donec tandem Spiræ tumulo majorum

ſuo

ſuorum fuit illatus, ubi hodieque ſepulchrum illius conſpicitur. Sequitur nunc filius ille impius *Henricus* Quintus. Diximus nuper quomodo Henricus Quartus omnium Imperatorum infeliciſſimus ſive à Papa ſive à Principibus exagitatus fuerit, & oſtendimus origines illius mali fuiſſe duas, ætatem impuberem, & educationem maternam: quapropter etiam filius Henrici Quarti nomine Henricus Quintus in proprium patrem omnem exercuit impietatem. Spoliavit illum regno à quo vitam acceperat, & paſſus fuit patrem jacere inſepultum: Ergo terra & cœlum conjuravit contra Henricum Quintum, ut oſtenderet honorandum eſſe patrem, nam qualia Henricus Quintus filius ille ingratus patri ſuo intulerat, talia & atrociora fuit Henricus Quintus paſſus, & hic primus Imperatorum Germaniæ fuit, qui Papæ tradidit *Baculum* & *Annulum* id eſt Jurisdictionem Eccleſiaſticam. Tanto facinore commiſſo & ingratitudinis erga parentem, & proditionis erga patriam Henricus Quintus obiit nullo relicto ſucceſſore: Ergo Saxones elegerunt ſuum ducem *Lotharium*. Mox oppoſuerunt ſe Saxonibus *Suevi*. Sub hoc Lothario ſecundo repertum fuit corpus juris Ro-

mani in Apulia, ideo Juriſconſulti præcipuè laudant Juſtinianum & Lotharium. Defuncto Lothario creatus fuit Imperator *Conradus* Tertius Dux Sueviæ cui ſtatim ſe oppoſuerunt Bavari. Sub hoc Conrado Tertio exortæ fuerunt famoſiſſimæ illæ factiones Guelphorum & Gibellinorum. *Guelphi* vocabantur qui defendebant partes Papæ contra Cæſares: horum dux erat Guelpho dux Bavariæ. Qui vero defendebant autoritatem Cæſaris contra Papam, illi vocabantur *Gibellini*, quia Cæſar Conradus Tertius natus erat in oppido Sueviæ *Waiblingen*. Ita Imperium Germaniæ pervenit ad familiam ducum *Sueviæ* ſive Alemannos excluſis Saxonibus, Bavaris & Franconibus. Conrado Tertio ſucceſſit filius *Fridericus* Primus quem Latini vocant *Ænobarbum*, Itali *Barbaroſſam*, id eſt rubram barbam; quo nemo unquam Imperatorum generoſius defendit majeſtatem Imperatoriam, & qui Papam ac rebelles Italos majori cum animo repreſſerit. Sed quidquid ageret, tamen coactus fuit propter infelicitatem illorum temporum collum ſuum ſubjicere pedibus Papæ. Quanquam hodieque acerrimè diſputetur inter Hiſtoricos & Politicos: *an hoc unquam factum fuerit?*

Re-

Reſpub. Venetiarum affirmat & ab illa origine imperium deducunt maris Adriatici. Germani credunt tale nefas fuiſſe commiſſum, ſed indignantur. Tantus Imperator extrema ſenecta ablegatus in Aſiam à Papa contra Turcas cum æſtivo die corporis refrigerandi ergo in Fluvium Cydnum inſiliiſſet, repente fuit ſuffocatus. Friderico Primo ſucceſſit *Henricus* Sextus cognomine *Aſper* propterea quod atrociſſime ſæviit in rebelles Siculos, & *Richardum* Primum Regem Angliæ in carcerem conjecit. Huic ſucceſſit frater *Philippus* Dux Sueviæ, contra quem creatus fuit Imperator *Otho* Quartus Dux Brunſvicenſis vel Saxoniæ. Ita Germania inter duos Imperatores diſtracta in propria viſcera atrociſſime ſæviit, ſed Philippus octavo Imperii anno interfectus fuit hac occaſione. Erat quidam Otho Comes Palatinus à Wittelsbach, qui ambibat filiam Imperatoris Philippi: ſed quandoquidem homicidium commiſiſſe dicebatur, indignus habebatur affinitate Cæſaris. Ille vindictam ſpirans Imperatorem Philippum in privato cubiculo valetudini ſuæ vacantem ſtricto enſe lethaliter vulneravit, ac per diſpoſitos equos aufugit. Hæc vulgo recepta opinio eſt, res

autem aliter ſe habuit, ut alibi oſtendemus. Ita Imperium ſolus *Otho* obtinuit, contra quem creatus fuit Imperator *Fridericus* Secundus Rex Siciliæ & Dux Sueviæ, filius Henrici Sexti, atque hic Fridericus Secundus denuo graviſſima bella contra Papas Romanos geſſit. Nam tunc temporis prævalebat potentia Paparum ſupra Imperatores.

Fuit hic Imperator *Fridericus* Secundus longè fortiſſimus, glorioſiſſimus & pugnaciſſimus, qui ſe Papæ Romano & rebellibus ácrem vindicem & hoſtem præbuit. Poſt ejus mortem diuturnum fuit interregnum per annos viginti duos, non quod nulli eſſent Cæſares, ſed quod nemo illorum gereret curam Imperii. Quippe Friderico Secundo ſucceſſit filius *Conradus* Quartus contra quem creatus fuit Cæſar *Wilhelmus* Comes Hollandiæ, ſed hoc à Friſiis interfecto creati fuerunt duo Cæſares *Richardus* frater Henrici Tertii Regis Anglię, & *Alphonſus* decimus Rex Caſtiliæ. Cæterum omnes hi Cæſares nihil pro imperio effecerunt, neque ullam autoritatem obtinebant: ergo repleta fuit Germania latrociniis. Jus erat poſitum in armis, potentior opprimebat infirmiorem, & hæc confuſio duravit uſque ad an. Chr. 1273. quo

quo creatus fuit Imperator *Rudolphus* Comes Habsburgenſis primus fundator familiæ *Auſtriacæ* quæ hodiè per Germaniam & Hiſpaniam quam latiſſimè dominatur. Quippe hic *Rudolphus* cum in prælio interfeciſſet Ottacarum Regem Bohemiæ, *Auſtriam*, *Styriam*, *Carinthiam* & alias quam plurimas provincias filio ſuo Alberto tradidit, eumque creavit ducem Auſtriæ. Sed antequam ad alia perveniamus commemorandus lamentabilis ille exitus Ducum Sueviæ qui à Conrado Tertio uſque ad Conradum Quartum Imperium glorioſiſſime obtinuerant. Igitur Conradi Quarti filius fuit *Conradinus* hæreditate paterna Rex Siciliæ & dux Sueviæ. Sed Papa regnum Siciliæ ac Neapolis tradidit Carolo Duci Andegavenſi qui erat frater Ludovici Noni RegisFranciæ. *Conradinus* hæreditatem paternam bello repetiturus, cum exercitu in Italiam fuit profectus, ſed prælio victus atque captus in poteſtatem hoſtis ſui Caroli pervenit, & ad mortem condemnatus fuit hac ſententia Martini Quarti Papæ Romani: *Vita* Conradini, *Mors* Caroli, *Mors* Conradini, *Vita* Caroli. Ergo decollatus fuit in urbe Neapoli unaque cum illo *Fridericus* Dux Auſtriæ. Cum aſcendiſſet fe-

rale theatrum caput Friderici Ducis Auſtriæ multis cum lachrymis deoſculatus fuit deplorans amici ſui interitum: deinde Chirothecam ſuam cuidam Germano adſtanti tradidit, ac proclamavit: *ſe hæredem Regni* Neapolis & Siciliæ *inſtituere* Petrum Regem Aragoniæ, atque ita intrepidus cervicem carnifici præbuit. Mox *Robertus* Comes Flandriæ & alii interfecerunt judicem qui ſententiam capitalem contra Conradinum pronuntiaverat, atque ipſe quoque carnifex ſtatim fuit obtruncatus, ne quiſpiam gloriari poſſet, quod tam nobilem ſanguinem profudiſſet. Igitu r *Petrus* Rex Aragoniæ ut indigniſſimam hanc Conradini cædem ulciſceretur una die curavit interfici omnes Gallos quicunque in Sicilia erant, quorum recenſebantur plus quam octo millia,& illa cædes Gallorum tanto cum furore peracta fuit, ut Siculi, ne propriis quidem filiabus pepercerint, quas à Gallis impraegnatas arbitrabantur. Dies illa qua hæc cædes commiſſa fuit hodieque vocatur *Veſperæ Siculæ*. Facta eſt hæc cædes Anno 1281. ipſa die Paſchatis circa horam tertiam veſpertinam, ad ſignum campanarum quæ precibus celebrandis tum impellebantur. Ita Deus innocentem Conradini ſanguinem

nem ingenti ſtrage Gallorum vindicavit, & Galli ab eo tempore amiſerunt Regnum Siciliæ & Neapolis.

Poſt mortem Rudolphi Primi Cæſar creatus fuit *Adolphus* Comes Naſſaviæ, cui ſe oppoſuit *Albertus* Dux Auſtriæ Rudolphi Primi filius: itaque res ad prę-lium devenit, in quo fuit ſuperatus Adolphus, & manu Alberti interfectus. Neque tamen *Albertus* Dux Auſtriæ diuturnum imperium obtinuit, paulo poſt & ipſe interfectus à patruele ſuo *Ioanne* Duce Sueviæ. Cauſa hujus cædis hæc fuit. *Ioannes* repetebat ab Alberto ducatum Sueviæ tanquam hæreditatem ſuam: *Albertus* per ludibrium capiti ejus impoſuit coronam ſtramineam, dicens: *per ætatem nondum eſſe capacem imperii.* Hac injuria irritatus *Ioannes* & à pravis conſultoribus impulſus, Cæſarem Albertum patruum ſuum interfecit. Poſt Albertum Cæſar creatus fuit *Henricus* Septimus Comes Luceburgenſis, qui imperium magna prudentia & fortitudine gubernavit, præſertim vero Italiam factionibus Guelphorum & Gibellinorum miserè diſtractam pacavit, ſed paulo poſt fraudibus Italorum veneno fuit necatus. Poſt ejus obitũ duo electi fuerunt Cęſares diſſentientibus electorum ſuf-

fra-

fragiis, *Fridericus* Pulcher Dux Auſtriæ ab una, & *Ludovicus* Dux Bavariæ ab altera parte: hinc atrox tota Germania bellum quod tandem finitum fuit captivitate Friderici. Ita ſolus Ludovicus Quartus Dux Bavariæ Imperium obtinuit, qui fratrem ſuum natu majorem *Rudolphum* Electorem Palatinum, omnibus ditionibus expulit ac ſpoliavit: inde illæ inter Comites Palatinos & Duces Bavariæ in hanc uſque diem durantes controverſiæ. Hic *Ludovicus* Quartus maximas contentiones exercuit cum Papis Romanis & ab illis multoties fuit excommunicatus, ſed eorum furores fortiter ac generoſè repreſſit donec tandem mortem obiret, eique ſuccederet *Carolus* Quartus Rex Bohemiæ, qui vocatur *peſtis imperii*, propterea quod privato intentus commodo pleraque vectigalia imperii abalienaverit, ſed unica re perpetuam laudem conſecutus fuit, quod condiderit *Auream Bullam*: aurea autem bulla vocatur *lex Imperii Germanici fundamentalis, in qua definiuntur jura & Imperatoris & Principum*, cui legi appenſum eſt aureum ſigillum quod vocant *bullam*, unde ipſa lex aurea bulla dicitur. Factum hoc eſt Anno 1356. in comitiis Norinbergenſibus. Carolus Quar-

tus

tus ſucceſſorem in imperio habuit filium *Wenceſlaum* omnium mortalium ignaviſſimum & turpiſſimum, cujus tota vita nihil aliud quam mera ſpurcities fuit, & qui imperium non plus æſtimavit quam rem viliſſimam, ſolis voluptatibus & otio indulgens: quapropter ter conjectus fuit in carcerem fœdiſſimum, ex quo tamen ſemper evaſit ac atrocius ſævire cœpit, ſemper ſecum in curru habens carnificem quem compatrem ſuum appellabat, & quo utebatur ad ſupplicia de obviis ſumenda. Ergo Electores ipſum imperio ſpoliarunt anno Chriſti 1400. ac in ejus locum electus fuit *Robertus* Elector Palatinus, Wenceſlao intra Bohemiam ſuam ſe continente ac imperio ſuſque deque habente dummodo cellam ſuam inſtructam haberet vino Rhenano Baccharacenſe. Roberto ſucceſſit *Sigiſmundus* frater Wenceſlai, Rex Hungariæ & Bohemiæ, cujus tempora fuerunt perturbatiſſima propter diſſidia Eccleſiaſtica, & Papalia. Quippe cum *Ioannes* Hus Theologiæ Profeſſor in Academia Pragenſi, & *Hieronymus* Pragenſis in concilio Conſtantienſi contra datam ab Imperatore fidem, tanquam Hæretici, combuſti fuiſſent, Bohemi arreptis armis mortem eorum tanquam Martyrum, vindicandam

dam ſuſceperunt Duce fortiſſimo Joanne *Ziſca*. Hoc bellum vocatur *Huſſiticum*, in quo infinitæ ſtrages à Bohemis editæ & acceptæ fuerunt, ac tota Germania illud incendium non potuit exſtinguere, Huſſitis audacia deſperata pugnantibus. Inter has turbas obiit *Sigiſmundus* & ſucceſſorem habuit *Albertum* Secundum Ducem Auſtriæ, Anno Chriſti 1438. à quo tempore Imperatoria dignitas perpetuò manſit in domo Auſtriaca uſque ad præſentem Imperatorem Leopoldum, qui ab Alberto Secundo Undecimus eſt ordine. Igitur Anno Chriſti 1440. creatus fuit Imperator *Fridericus* Tertius Dux Auſtriæ, cujus Imperium admodum diuturnum fuit, erat enim Princeps pacificus & tranquillus: ſed eo imperante graviſſimi motus, bella & mutationes in Europa exſtiterunt, de quibus nunc pauca quædam commemoranda ſunt. Tria tunc temporis maxima flagrabant bella. 1. Inter *Anglos* & *Gallos*. 2. Inter *Burgundos* & *Gallos*, & denique 3. inter *Chriſtianos* & *Turcas*. Ac primo quidem bellum Anglo-Gallicum quod ſpectat, exortum illud fuit inter *Eduardum* Tertium Regem Angliæ, & *Philippum* Valeſium Regem Galliæ. Hoc bellum tribus graviſſimis præliis memorabi-

rabile eſt, in quibus omnibus victores fuerunt Angli. Primum fuit commiſſum ad Sylvam *Creſſiacam* in Picardia, in quo triginta millia Gallorum perierunt & urbs *Caletum* ab Anglis fuit expugnata, quam per ducentos fere & triginta annos obtinuerunt. Secundum fuit navale ad *Sluſas* Flandriæ portum in quo iterum Galli totam claſſem ſuam amiſerunt cum 30000. militum. Tertium omnium infeliciſſimum Gallis prælium commiſſum fuit in Pictonibus, in quo ipſe Rex Gallorum *Joannes* captus ac in Angliam abductus fuit. *Secundum* bellum illorum temporum fuit inter Burgundos & Gallos, cujus hæc origo: *Joannes* Intrepidus Dux Burgundiæ & Comes Flandriæ per ſicarios Pariſiis interfici juſſerat *Ludovicum* Ducem Aurelianenſem *Caroli* Sexti Regis Galliæ fratrem. Ad hanc cædem ulciſcendam *Joannes* Dux Burgundiæ iterum fuit interfectus. Ita pro utraque cæde ulciſcenda utrimque capta fuerunt arma. *Tertium* bellum ejus temporis fuit inter *Chriſtianos* & *Turcas*, quod hoc Anno 1669. expugnatione Candiæ deſiit. Turcarum Imperium Anno Chriſti 1300. condidit *Ottomannus* à quo Imperium *Ottomannicum* dicitur. Ex Aſia Turcæ ſedem Imperii tranſtulerunt

in

in Europam: primo quidem *Adrianopolim*, deinde *Conſtantinopolim*. Sigiſmundus Imperator cum videret Turcarum potentiam magis magiſque Hungariæ appropinquare, Chriſtianos Principes contra eos concitavit, quod factum eſt Anno Chriſti 1395. à quo tempore nulla inter Chriſtianos & Turcas perpetua pax ſed tantum induciæ fuerunt. Tria autem prælia maxima durante hoc bello commiſſa fuerunt. Primum inter *Bajazetem* Turcarum, & *Sigiſmundum* Romanorum Imperatores ad urbem Nicopolim, in quo Chriſtianus exercitus totus à Turcis deletus fuit, & Joannes *Intrepidus* Dux Burgundiæ captus. Cauſa autem quare illum Turca incolumem demiſerit, neque ut alios captivos occiderit, hæc fuit; quia Turcus prævidebat Joannem eſſe ingenio turbulento, ac ſi dimitteretur maximas turbas inter Chriſtianos excitaturum, quemadmodum etiam factum fuiſſe paulò ante commemoravimus. Secundum prælium commiſſum fuit inter *Vladiſlaum* Regem Poloniæ Hungariæque & *Amurathem* Secundum Imperatorem Turcarum ad urbem *Varnam* anno Chriſti 1444. in quo ipſe *Vladiſlaus* occiſus & totus exercitus miſerabili clade conciſus fuit. Cauſa erat perfidia Chri-

Chriſtianorum, quod pacem cum Turcis initam, ſuaſu Cardinalis Juliani, nefariè abrupiſſent. De hac clade memorabili extant hi Verſus:

*Romulidæ* Cannas *ego* Varnam *clade notabo*:
*Diſcite Mortales non temerare fidem.*
Me niſi Pontifices juſſiſſent rumpere pacem,
*Non ferret* Scythicum Pannonis *ora jugum.*

Tertium prælium commiſſum fuit inter *Ludovicum* Regem Hungariæ & Solimannum Imperatorem Turcarum Anno Chriſti 1526. ad oppidum Mohatz haud procul Danubio in quo periit Rex *Ludovicus* cum toto exercitu. Ab eo tempore Turcæ occuparunt longe maximam Hungariæ partem, ac limites ſuos extenderunt ad fines Germaniæ uſque, in primis vero poſtquam expugnarunt Caniſam munitiſſimum propugnaculum in ipſis limitibus Auſtriæ.

Ut autem ad interruptam ſeriem Cæſarum revertamur, Alberti Secundi Cæſaris filius fuit *Ladiſlaus* Poſthumus, ſub quo Regnum Bohemiæ & Hungariæ innumeris difficultatibus jactatum fuit, non ſecus ac navis aliqua in tempeſtuoſo mari amiſſo gubernatore. Quippe *Ladiſlaus*

jacta-

jactabatur, ab una parte inter tutores ſuos, ſive fidem ſive perfidiam, ab altera *Fridericus* Tertius Cæſar, proximus cognatus, & hæres, ſeſe tutoribus opponebat. *Duæ* erant factiones, *una* in *Hungaria* & *Auſtria* cujus caput *Ulricus* Comes Ciliæ: *altera in Bohemia*, cujus caput erat *Georgius* Bodiebracius. Interea adoleſcebat *Ladiſlaus* jamque capax Regni videbatur, cum Hungari conſpirarunt in mortem Ulrici comitis Ciliæ, eumque omnino è medio tollendum cenſebant. Caput hujus conſpirationis erat *Ladiſlaus* Huniades, Juvenis florentiſſima fortuna, forma & ætate ac princeps juventutis. Is Ulricum Comitem Ciliæ publicè aggreſſus, *proditorem* appellavit; mox ortis rixis, ferro trajecit, ac tanquam re bene geſta, factum coram Ladiſlao Rege defendit. *Ladiſlaus* alto corde dolorem premens, diſſimulavit offenſum, & prolixa gratia Ladiſlaum Huniadem proſecutus fuit; ita ut juvenis improvidus, nihil mali ſuſpicaretur, donec redactum cum fratre Mathia in poteſtatem utrumque Ladiſlaum carceri mancipavit, & non longa uſus Juris formula ad mortem damnavit. Ita *Ladiſlaus* Huniades, aurea indutus toga, quam Rex *Ladiſlaus* ipſi paulo ante donaverat, revin-

vinctis poſt terga manibus, ad ſupplicium fuit productus: ipſe juvenis 24. Annorum, aurea per cervices dependente coma, mortem haudquaquam formidans, illachrymante tota adſtantium corona: atque ita vix quatuor ictibus cervix ipſi abſciſſa fuit. Frater illius *Mathias*, Juvenis 15. Annorum & conſiliorum fratris ſui innocens per ætatem, in carcerem conjectus fuit. Rex *Ladiſlaus* exiſtimans omnia in futurum pericula ſe evaſiſſe, interfecto Ladiſlao Huniade, ad Regias cum *Caroli* Septimi Regis Galliæ filia nuptias animum adjecit jamque omnia feſto Pragæ apparatu ſtrepebant, ipſaque regia ſponſa cum ſplendidiſſimo comitatu in itinere erat, profectura Pragam: cum repentè Rex *Ladiſlaus* poſt cœnam ægrotare cœpit, ac ſentiens extrema inſtare (tanta vis morbi in Juvenili corpore fuit) *Georgio* Bodiebracio Gubernatori Bohemiæ Regnum tradidit, atque intra paucas horas, ex quo ægrotare cœperat, diem obiit, Anno ætatis circiter 20. Mortuo Ladiſlao, Hungaria & Bohemia Regibus deſtituebantur. Et Bohemiam quidem ſtatim occupavit *Georgius* Bodiebracius. Is *Matthiam* Huniadem, ex carcere, ſuæ menſæ admovit, & inter alios familiares ſer-

ſermones, *quantam* inquit *Matthia gratiam illi rependere velles*, qui te de carcere liberaret? *Tantam*, Mathias inquiebat, *quantum* præ ſervitute libertas æſtimatur. *Et quid* regerebat Georgius, *ſi te inſuper Regem faceret?* Jocari Georgium dicebat *Matthias*, neque *miſeris inſultandum*. Tum vero *Georgius*: exceſſiſſe *Ladiſlaum*, vacare Regnum *Hungariæ*: id *Matthias* ut conſequatur, in ſua manu eſſe; pacta *nuptialia* & quaſdam *conditiones* eſſe ineundas: *Matthias* qui mortem in carcere exſpectaverat, neque libertatem modo, ſed & regnum offerri videns, *nullas conditiones* detrectavit. Ita miſſus in Hungariam, Rex ibi *omnium applauſu* conſtitutus fuit, neque Hungaria unquam majorem & feliciorem Regem habuit.

Sequitur nunc ut exponamus, qua occaſione domus Auſtriaca pervenerit ad poſſeſſionem Provinciarum Belgicarum. Erat tunc temporis Princeps Belgarum *Carolus* Audax Dux Burgundiæ: filius *Philippi* Boni, nepos *Joannis* Intrepidi de quo ſupra diximus. Is *Carolus* unicam habebat filiam nomine *Mariam* hæredem tot provinciarum atque etiam Hollandiæ. Ejus conjugium quanquam multi ambirent, tandem impetravit *Ma-*

*xi-*

*ximilianus* Friderici Tertii, Imperatoris filius ac ſucceſſor. Ipſe *Carolus* Audax, inſatiabiliter ambitioſus, bellum *Helvetiis* intulit, ac ab illis, duobus ingentibus præliis fuit ſuperatus, in primis graviſſimo ad *Moratum*, in quo plus quam 50. millia Burgundionum & Belgarum perierunt. Extant hodieque ingentes oſſium cumuli, qui ea in ſtrage perierunt. *Carolus* vinci niſi *moriens* non potuit. Igitur denuo inſtauravit bellum, & obſedit *Nancejum* Lotharingiæ Metropolim, ſed & ibi tertio prælio ab Helvetiis non tantum ſuperatus, verum etiam occiſus fuit, Anno Chriſti 1477. Hunc finem habuit *Carolus* Audax ultimus Dux Burgundiæ & Comes Hollandiæ. Eo ſublato *Maximilianus* per conjugium Mariæ, factus fuit *Princeps* Belgarum, ac familiam Auſtriacam in poſſeſſionem Germaniæ inferioris introduxit. Cæterum Flandri peregrinam dominationem odio habentes Maximilianum Brugis in carcerem conjecerunt, & in ipſius conſpectu præcipuos ejus familiares decollarunt, ipſo Maximiliano in extremo vitæ periculo verſante. Ergo *Fridericus* Tertius Imperator pater ejus totam Germaniam pro filio liberando ad arma concitavit. Dux exercitus erat *Albertus* Dux Saxoniæ,

qui

qui præmium hujus belli obtinuit Friſiam & Groningam. *Maximilianus* ex carcere liberatus, quanquam veniam omnium delictorum promiſiſſet, graviſſimè tamen poſtea animadvertit in Flandros. Ex hoc conjugio Maximiliani & Mariæ Burgundæ natus fuit *Philippus* Archidux Auſtriæ & Princeps Belgarum qui duxit *Joannam* filiam *Ferdinandi* & *Iſabellæ* Regum Caſtiliæ & Aragoniæ.

Quemadmodum per conjugium Maximiliani & Mariæ *Auſtria* ac *Belgica*: ſic per conjugium Philippi & Johannæ Auſtria, Belgica & Caſtilia conjunctæ fuerunt, & poſita fundamenta præpotentis illius Imperii, quod *Auſtriacum* & *Hiſpanicum* vocatur. Videbantur tunc temporis omnia conſpirare ad familiam Auſtriacam in ſupremum humanæ potentiæ faſtigium extollendam. Quippe *Ferdinandus* cognomento *Catholicus* Aragoniam & Caſtiliam conjugio junxerat. Regnum *Navarræ* & *Neapolis* Regi Franciæ eripuerat, Regnum *Granadæ* expugnaverat Anno Chriſti 1492. eodemque anno Novum Orbem, quem hodiè vocamus *Americam* occupaverat & detexerat per *Chriſtophorum* Columbum. Ita certatim ampliſſima & ditiſſima regna ac bellicoſiſſimæ provinciæ in unam Monar-

nar-

narchiæ Auſtriacæ molem confluebant. *Philippus* ex Iohanna Ferdinandi filia duos generat filios, *Carolum* & *Ferdinandum*, à quibus hodieque deſcendunt Hiſpaniæ *Reges*, & *Imperatores* Germaniæ, Quippe Caroli poſteritas hodiè regnat in *Hiſpania*, Ferdinandi in *Germania*.

Sequitur nunc Annus 1500. quo natus fuit *Carolus* Quintus *Gandavi* in Flandria, patre *Philippo* Archiduce & matre *Johanna* Ferdinandi Catholici Regis Hiſpaniæ filia. Ab hoc Carolo Quinto incipit hiſtoria *hodierna* vel *recentiſsima*. Quippe *Carolus* Quintus poſt mortem Maximiliani primi avi ſui Anno Chriſti 1519. Francofurti fuit creatus *Cæſar*, fuitque omnium qui unquam imperarunt Cæſarum longè latèque potentiſſimus, qui *Germaniam*, *Italiam*, *Belgicam*, *Hiſpaniam*, *Africæ & Americæ* maximam partem, ſolus obtinebat, quod nulli unquam Imperatori ante illum accidit. Eo imperante maximum in religione diſſidium exortum fuit. Quippe *Martinus* Lutherus in Saxonia, & *Ulricus* Zwinglius in Helvetia, Papam Romanum, tanquam *Antichriſtum* taxabant; Hinc exortum eſt incendium tota Europa latiſſimum, Carolo Cæſare fruſtra, illud extinguere conante. In Politicis au-

tem maximi tunc temporibus fuerunt motus. Quippe *Franciſcus* Primus Rex Galliæ, creſcentem Caroli Quinti potentiam ægris oculis adſpiciens, eam omni ratione ſufflaminare conabatur. Verum Caroli fortuna ſemper ſuperior fuit, ita ut An.C. 1525. ipſum *Franciſcum* Regem Galliæ in prælio apud Ticinum captum in Hiſpaniam mitteret. Eodem Anno in Germania exortum bellum *Ruſticum*, Ruſtici enim pertæſi ſervitutis, contra nobiles arma arripuerunt, & horrendas cædes per Germaniam patrarunt donec tandem plus quam centenis millibus interfectis in ordinem redigerentur. Anno Chriſti 1527. copiæ Caroli Quinti, duce Carolo Borbonio, ipſam urbem *Romam* & in ea Papam ac Cardinales impetu ceperunt. Nunquam Roma magis terribili clade afflicta fuit, adeo ſævitum cædibus & omnibus militiæ flagitiis; ſacra pariter & profana ludibrio erant, præſertim apud milites Germanos & Hiſpanos. Ita ditiſſima urbs in prædam ceſſit. Biennio poſt Anno Chriſti 1529. *Carolus* Quintus cum Papa Clemente Septimo reconciliatus fuit, & ab illo coronam Imperialem Bononiæ accepit. Anno 1530. celebrata fuerunt Comitia *Auguſtana*, in quibus exhibita fuit à Proteſtan-

ſtantibus *Confeſſio* Fidei quæ vocatur *Auguſtana*, Anno Chriſti 1534. Anabaptiſtæ occuparunt urbem *Monaſterium* in Weſtphalia, & creaverunt Regem quendam Iohannem *Bocold* ſartorem ex hac urbe Leyda oriundum. Volebat is novam Monarchiam condere & omnes alios principes ac Magiſtratum gladio occidere. Sed ſequente Anno 1535. capta urbe Monaſterienſi, ipſe fictitius Rex *Johannnes* Bocold ſupplicio affectus fuit, ac in ferreo corbe de turri Lamberti ſuſpenſus, hodieque peregrinantibus ſpectaculum præbet. Iiſdem annis *Carolus* Quintus expeditiones ſuas Africanas ſuſcepit; expugnavit urbem *Tunetum*, ſed *Algeriam* fruſtra obſedit, ac totam ſuam claſſem horribili naufragio ibi amiſit. Reverſus in Germaniam, bellum *Juliacenſe* geſſit, & Ducatum *Gelriæ* expugnavit. Sequitur nunc bellum inter Carolum Quintum & Proteſtantes Germaniæ, quod cepit anno Chriſti 1546. & alio nomine vocatur *Smalcaldicum*, ab urbe Haſſiæ *Smalcalden*, in qua fædus contra Carolum Quintum à Proteſtantibus fuerat initum. Duces Proteſtantium erant I. *Fridericus* Elector Saxoniæ & *Philippus* Landgravius Haſſiæ. Sed iterum prævaluit fortuna Caroli Quinti. Nam An-

no Chriſti 1547. in prælio apud *Mulbergam* Miſniæ cœpit Electorem Ioannem Fridericum, eumque tanquam *rebellem* ad *mortem* condemnavit. Verum interceſſione aliorum Principum, vitæ gratia ipſi facta fuit. *Philippus* Landgravius Haſſiæ ſpontaneam deditionem fecit ac culpam deprecatus fuit: nihilominus & *ipſe* & *Elector* Saxoniæ in carcere detenti fuerunt. Ergo cum nullæ preces apud Carolum prævalerent, *Mauritius* Elector Saxoniæ Anno 1552. repentè cum exercitu oppreſſit Carolum Quintum ac tota ipſum Germania expulit. Ita *Carolus* Quintus omnem victoriarum ſuarum fructum quaſi momento amiſit, ac turpi fugæ Germaniam deſerere coactus fuit. Igitur pertæſus Imperii præſertim cum Podagra graviſſimè affligeretur, ſe & imperio & omnibus regnis & Provinciis ſpontè abdicavit; ac rerum humanarum cura ſolutus, in cœnobio Hiſpaniæ Sancti *Juſti* privatam ac ſolitariam vitam egit, tandemque Anno Chriſti 1557. defunctus fuit. Quæ autem poſt obitum Caroli Quinti ad noſtra uſque tempora & annum 1670. per Orbem acciderunt, ea recentiſſimis ſcriptoribus tradita, in hac exigua Hiſtoria univerſali, ſtudio brevitatis & ad alia feſtinan-

nantes, nunc omittimus, præſertim cum ex avorum & parentum traditione, cuivis notiſſima ſint.

Tempore Caroli Quinti in tribus his regnis imperabat *Chriſtiernus* Secundus omnium qui unquam vixerunt Tyrannorum immaniſſimus. Habebat ille vetulam quandam Amſterodamo oriundam quæ vocabatur *Sibritta*, cujus etiam filia quæ vocabatur *Columbula* pro concubina utebatur; & hæc Sibritta totum regnum gubernabat, ac regem veluti Magicis artibus obnoxium ſibi habebat. Rex Chriſtiernus Suecia potitus, Stockholmiæ proceres ad ſplendididiſſimum convivium invitavit: tertia Publicæ lætitiæ die omnes inauditos & indefenſos capite truncari juſſit, ac in omnes promiſcue veluti immanis bellua ſævijt. Ergo tria regna Septentrionalia contra hunc Tyrannum juſtis furiis conſurrexerunt: Chriſtiernus turpi fuga ſe in Belgium recepit ad Carolum Quintum affinem ſuum, cujus ſororem *Iſabellam* uxorem habebat. Interea *Dani* & *Norvegi* Fridericum Ducem Holſatiæ, *Sueci* Guſtavum Reges ſibi elegerunt. *Chriſtiernus* cum exercitu regnum repetens in Norvegia fuit captus, ac ad perpetuos carceres condemnatus, in quibus per 27.

annos miſerabilem vitam egit, mortuus demum Anno Chriſti 1559. & ab hoc tempore Dani & Sueci ſeparatos iterum Reges habuerunt.

Danorum Reges hi fuerunt.

*Fridericus* Primus, *Chriſtianus* Tertius, *Fridericus* Secundus, *Chriſtianus* Quartus, *Fridericus* Tertius, & qui hodie regnat *Chriſtianus* V.

Suecorum Reges hi fuerunt.

*Guſtavus* Primus, *Ericus* Octavus, *Joannes* Primus, *Sigiſmundus* Rex Poloniæ, *Carolus* Nonus, *Guſtavus Adolphus* Magnus, *Chriſtina*, *Carolus* Guſtavus Comes Palatinus, & qui hodiè regnat *Carolus* Undecimus.

II. Extincta familia *Jagellonia* Poloni exteros Reges quærere cœperunt, ac primo quidem elegerunt *Henricum* Ducem Andegavenſem fratrem Caroli Noni Regis Galliæ, qui cum regnum fuga deſeruiſſet, electus fuit *Stephanus* Batorius, poſt hunc *Sigiſmundus* Rex Sueciæ, cui ſucceſſerunt duo filii, *Vladiſlaus* Quartus & qui hodie regnat *Joannes* Caſimirus quo ſe A. 1669. abdicante electus fuit *Michael* Corebutus Wieſnowetzki.

III. Extincta *Joannis* Baſilidis progenie circa Annum Chriſti 1604. maximi in Moſcovia fuerunt motus, cum quidam

dam *Pſeudo Demetrius* regnum fraude invaſiſſet, hoc impoſtore interfecto Ruſſi tandem Anno 1612. elegerunt ſibi Regem *Michaëlem* Fedrovitzium qui collapſum imperium Ruſſiæ ſua prudentia reſtituit;ejus filius *Alexius*, Michalovitz hodie apud Ruſſos imperat.

IV. Tempore Caroli Quinti Imperator Turcarum fuit *Solimannus* qui Anno 1529. obſedit Viennam ac maximam Hungariæ partem occupavit; ei ſucceſſit filius *Selimus* qui inſulam Cyprum Venetis eripuit: huic alii,donec tandem Anno Chriſti 1640. Imperium Turcarum perveniret ad *Ibrahimum* quem Janizari Anno 1648. ſtrangularunt; ei ſucceſſit *Mahumedes* Quartus qui hodieque imperat, & Candiam An. 1669. expugnavit.

V. Poſt Carolum Quintum Imperator Germaniæ factus frater ejus *Ferdinandus* Primus, cui ſucceſſerunt *Maximilianus* Secundus, *Rudolphus* Secundus, *Mathias* Primus, *Ferdinandus* Secundus, ſub quo exortum fuit bellum Bohemicum Anno Chriſti 1618. quod tandem totam Germaniam corripuit & pace Monaſterienſi Anno 1648. finitum fuit. Ferdinando Secundo ſucceſſit filius *Ferdinandus* Tertius, huic Anno 1658. filius *Leopol-*

*poldus* Primus qui hodie feliciter imperat.

Caroli Quinti perpetuus adverſarius fuit *Franciſcus* Primus Rex Galliæ, & facilius fuiſſet aquam conciliare igni, quam illos duos principes ſtabili pace jungere. Ergo Europam impleverunt bellis nullo alio exitu, niſi quod miſeros ſuos ſubditos reciprocis cladibus affecerunt, cum alter alteri ne quidem pedem terræ eripere poſſet, ſed mutuis ſe tantum cladibus attererent. Hac occaſione *Solimannus* Turcarum Imperator Hungariam ferè totam occupavit, Franciſco Rege Gallię cum eo fædus ineunte, neque extincta fuerunt odia morte utriuſque, ſed tranſmiſſa ad poſteros *Henricum* Secundum Regem Galliæ, & *Philippum* Secundum Regem Hiſpaniæ: uterque erat florente ætate, plenus ſpirituum, viribus & potentiâ æquales. Ergo prælium commiſſum fuit ad Sanctum Quintinum in Picardia Anno Chriſti 1558. cui interfuit ipſe Philippus Secundus Rex Hiſpaniæ, tunc temporis Princeps Belgarum, ac victoriam obtinuit contra Henricum Regem Gallię. Sed cum *Philippus* Secundus ſpectaſſet in illo miſerabili pręlio tantam hominum internecionem, ab eo tempore nunquam amplius intereſſe voluit

luit bello, ſed in Hiſpaniam ſe recepit, atque ibi per duces ſuos bella geſſit. In memoriam hujus victoriæ ad S. Quintinum *Philippus* II. extruxit magnificentiſſimum toto terrarum orbe Monaſterium, *Eſcuriael* S. Martyri Laurentio dicatum, quod templum Salomonis ſumptuoſiſſimo apparatu æmulatur. *Henricus* Secundus poſt fatalem ad Sanctum Quintinum cladem cum Philippo Secundo pacem ac affinitatem iniit, & uterque Regum conjuraverant in perniciem ſuorum ſubditorum (qui Reformati vel Proteſtantes appellabantur) ut *Philippus* Secundus in Belgio, *Henricus* Secundus in Gallia Hæreticos extinguerent, *Wilhelmus* Princeps Auriacus tunc temporis legatione fungens hoc ex ore Henrici Secundi intellexit. *Henricus* Secundus Rex Galliæ eodem Anno in haſtiludio à Gabriele Momorantio lancea in oculum adacta fuit confoſſus, atque ita miſerabiliter periit, relictis quatuor filiis impuberibus, *Franciſco* Secundo, *Carolo* Nono, *Henrico* Tertio & *Franciſco* Alenſonio. Horum quatuor filiorum mater Regens erat *Catharina* Medicea, qua fœmina nulla unquam in Gallia ab orbe condito flagitioſior fuit, ideoque vocatur ab Hiſtoricis *Quarta Furiarum* & Me-

*Medea.* Hæc *Catharina* peſſumdedit familiam Valeſiam, Regnumque Galliæ infinitis cædibus implevit & auctor fuit lanienæ Bartholemeanæ Anno Chriſti 1572. ubi ſpecie nuptiarum omnes Reformati una die, & hora vel interfecti vel ad necem quæſiti fuerunt, Avus *Ludovici* Decimi Quarti præſentis Regis Galliæ, nomine *Henricus* Quartus in his nuptiis erat ſponſus, ſed & ipſe metu mortis adactus fuit, tantum nefas, quo majus nunquam orbis viderat, probare. Mox divina vindicta *Jus talionis* exercuit, *Carolus* Nonus biennio poſt Anno Chriſti 1574. (quo anno Leyda ab Hiſpanis obſidebatur) in proprio ſuo ſanguine fuit ſuffocatus. *Henricus* Tertius, qui præcipuus fuerat actor hujus lanienæ, poſt quatuordecim annos in eodem cubiculo in quo cædes tam injuſta erat decreta, à Monacho quodam *Jacobo* Clemente, cultro fuit confoſſus Anno Chriſti 1589. Ita extincta fuit linea Valeſia Regum Galliæ, ac ſucceſſit linea *Boûrbonia* cujus caput fuit *Henricus* Quartus, qui & ipſe poſt incredibiles de hoſtibus ſuis victorias tandem Anno Chriſti 1610. 14. die Maji à ſicario fuit interfectus. Huic ſucceſſit *Ludovicus* Decimus Tertius qui miniſtro uſus Cardi-

nale

nale *Richelio*, duo maximi momenti opera peregit, 1. quod expugnavit *Rupellam*, 2. quod bellum in Germania & Belgio contra Hiſpanum & Cæſarem geſſit, ac tandem relicto ſucceſſore *Ludovico* Decimo Quarto ſub miniſterio Cardinalis *Maſarini* qui conjugia ac pace bella compoſuit, & nunc erroribus regni ſui corrigendis occupatur.

VII. Tempore Caroli Quinti regnavit *Henricus* Octavus Rex Angliæ, Princeps initio Regni Magnanimus, ſed ultimis annis totus luxuria & Tyrannide corruptus, qui aliquot uxores ſuas decollari juſſit; idem Papæ Romano omnem autoritatem abrogavit, ac ſe *caput Eccleſiæ Anglicanæ* appellavit, deſtruxit Monaſteria per totam Angliam, & ut uno verbo omnia complectar, truculenter regnavit. Is filium reliquit *Eduardum* Sextum Principem omni pietate & prudentia præditum, qui primus in Anglia religionem reformavit, ſed Anno ætatis Decimo Sexto præmatura morte obiit. Ei ſucceſſerunt duæ ſorores, Prima *Maria* quæ nupſit *Philippo* Secundo Regi Hiſpaniæ, crudeliter ſæviit in omnes religioni Reformatæ addictos, & autoritatem Papæ Romano in Anglia reſtituit, ſed quinto regni anno defuncta,

ſuc-

ſucceſſorem reliquit ſororem ſuam *Eliſabetham* quæ ad regnum pervenit Anno Chriſti 1559. atque hæc illa eſt Eliſabetha quæ Angliam diutiſſimè & feliciſſimè gubernavit, autoritatem Papæ iterum abrogavit. Reformatam religionem reſtituit, patrocinium Belgarum contra Hiſpanos ſuſcepit, claſſem Hiſpanicam quæ *invincibilis* vocabatur Anno Chriſti 1588. profligavit, ac tandem Anno 1603. obiit, & cum illa extincta fuit ſeries Regum Angliæ, regnumque pervenit jure Agnationis ad *Jacobum* Sextum Regem Scotiæ, qui primus ab orbe condito factus fuit *Monarcha* omnium Inſularum Britannicarum, id eſt *Angliæ*, *Scotiæ* & *Hyberniæ*. Hic *Jacobus* toto Regno *pacificus* fuit, neque ullum bellum geſſit. Ejus ſucceſſor fuit *Carolus* Primus Anno Chriſti 1625. ſub quo bellum civile in Britannia exortum fuit atrox & furioſum, in quo tandem ipſe Carolus periit, ac ejus poſteritas à prædominante factione expulſa fuit. Durante interregno bellum inter Belgas & Anglos exortum, ac mutuis cladibus aliquandiu geſtum, tandem pace terminatum fuit: ita Anno Chriſti 1660. Angli Familiam Regiam reſtituerunt regno ad legitimum hæredem *Carolum* Secundum delato qui hodie-

dieque regnat, ſub quo Londinum combuſtum.

VIII. Carolo Quinto in Hiſpania ſucceſſit *Philippus* Secundus, ſub quo Belgæ pertæſi Tyrannidis Ducis Albani, qui non tantum atrociter ſæviebat in religionem & vitam incolarum, verum etiam decimo nummo contra conſenſum Ordinum imperato, omnia bona in fiſcum redigere volebat, defecerunt auſpiciit *Wilhelmi* Principis Auriaci: igitur exarſit bellum inter Hiſpanos & confæderatos Belgas diuturnum terra marique, donec tandem poſt 80. Annos *Philippus* Quartus Anno Chriſti 1648. omni Juri & prætenſioni ſuæ renuntiaret, ac pacem perpetuam cum libera Repub. confœderata iniret. Anno Chriſti 1640. *Luſitani* à Philippo Quarto Rege Hiſpaniæ defecerunt, ac proprium ſibi Regem *Joannem* Quartum elegerunt, cui ſucceſſit Filius *Alphonſus* Sextus qui memorabilem victoriam de exercitu Hiſpanico apud urbem Evoram reportavit. Eo deſerto Luſitani *Petrum* fratrem ipſius elegerunt Regentem anno 1668. Atque hic eſt ſtatus hodiernus Europæ, in AFRICA nihil hodiè memorabile accidit, niſi quod Princeps quidam Maurorum qui vocatur *Gayland* contra Anglos apud Ur-

Urbem *Tanger* bellum gerit, ac illis nuper ingentem ſtragem intulit, internecione deletis illorum copiis. *Taffilet* regna Fez & Marrucco expugnat. In Perſia hodie regnat *Scha Abas* Secundus.

In regno Indiæ poſt mortem Magni Mogolis omnia dicuntur eſſe plena diſſidiorum propter diſcordias quatuor fratrum qui de Imperio contendunt.

Imperium *Sinenſe* his proximis annis expugnaverunt *Tartari* Orientales, & in eo hodiè dominantur; Sinenſes profugi expugnarunt Inſulam *Formoſam*, quæ erat Colonia Belgarum.

De Japonia nihil nobis adhuc certi conſtat, niſi quod illa Inſula ſatis pacificè à ſuo Imperatore gubernetur. Jedo terremotu horribili ac inde incendio An. 1657. conflagravit, cum centum millium hominum ſtrage. Atque hic eſt ſtatus hodiernus totius terrarum orbis.

SIT PAX IN DIEBUS NOSTRIS.

F I N I S.

Aφ1 11,55712

Digitized by Google

